

Pyrotechnia sophica rerum naturalium ... ubi rerum omnium principiis vestigatis, reliquisque chymici apparatus expensis, singulorum corporum ... principia, genesis, dotes, praeparationes, usus, et dosis ignis artificio et examine explorantur et fabrefiunt / [Carlo Musitano].

Contributors

Musitano, Carlo, 1635-1714.

Publication/Creation

Coloniae Allobrogum : Chouet, etc., 1701.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jehgg6k4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Libreria Antiquaria
ANGELO GANDOLFI
BOLOGNA

Materia

Scienze VIII

Ubicazione

XL F

Volumi

1

Prezzo L.

2

1910

A. XXX. m

38156/E

a 1451

Scanzia

5

Casella

6

N.° d'ordine

4

7/5/12

12
D. CAROLI
MUSITANI
PHILOSOPHI, AC MEDICI
CELEBERRIMI
PYROTECHNIA
SOPHICA.

IN QVA

RERUM OMNIUM PRINCIPIIS VESTIGATIS,
Reliquisque Chymici apparatus expensis, singulorum Corporum
ex triplicato Naturæ Regno Vegetantium nempe, Mineralium,
& Animalium principia, genesis, præparationes, usus, & dosis
ignis artificio examine explorantur, & ad TRUTINAM revocantur.

Cum INDICIBUS Capitum, Rerum, & Materialium locupletissimis.



COLONIÆ ALLOBROGVM.

Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, GRAMER, PERACHON,
RITTER & S. DE TOURNES.

M. DCCI.





BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

JOSEPH MUSITANUS
I A T R I A S P R O F E S S O R

INTER complurima infortunia L. A. quæ usque ad hanc diem nostro in Regno Chymia patitur, tum illud maximum semper existimavimus, non nisi nebulosis, nulliusque pretij hominibus Chymicarum præparationum curam laxari, qui nullo judicio, nullâ doctrinâ, sed casu ducti præsentissima potius nostræ vitæ parant venena. Horum certò imposturis, vel ipsum nomen Chymia communi omnium opinione summoperè horrendum redditur, adeò ut non pauci, supersunt ex vulgi sententiâ, saniori meliorum Scientiarum succo imbuti, sed nostro videri hircosi, & præposterâ nati Minervâ, ab omni hominum memoriâ abradendum putaverint, & veluti Reipublicæ exitiabile, ipsam quoque recordationem esse damnandam. Nos verò de his nil commovere solemus, quippè satis, superque apud Cordatos

datos Viros, atque à vulgi opinione semotos innotuit, non Chymiam culpandam; sed Batavos illos homines, quorum opera hæc ars infamatur. Horum bono ne credas hæc nostra scripta in lucem protulisse; sed propositum nobis fuit omnibus illis brevi methodo viam sternere, qui sano iudicio præditi ad Chymiam animum adjicere expetunt, ut saniori sapientiæ fores rectè ingredi possent. MUSITANUM autem cæteris præstitisse in hoc uno crediderim, quod suo iudicio nil temerè commiserit, sed omnia in observandâ naturâ, quam sibi veluti ducem, & magistram præfecit, illiusque artificio cognoscendo, probato examine paravit, & digessit. Hinc præcipuus sapientiæ fructus reputatur, qui per improbos labores, post tot vigilias, tot studia in naturalis scientiæ comparatur, ut ea, quæ per nosmet ipsos assequi nequimus, naturam ducem, non propria iudicia statuere oportet. Tali igitur ingenuitate omnem arrogantiam, quæ ab homine Philosopho plurimum dissidet, vitare studuit, ut quæ ad humanos usus protulit, ad maiora vitæ compendia instruerentur. Lege interim L. A. & bene utere. *Vale.*

INDEX



INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. De Chymix Origine, & Progressu	3
II. De Variis Chymix nominibus, & eorum Ethymo	8
III. De Chymix Definitione, & Partitione	9
IV. De Chymix Officio, Necessitate, & Dignitate	10
V. De Chymix Sectis	13
VI. Præsupponuntur aliqua de corporum naturalium Principiis ad dicendorum intelligentiam necessaria	15
VII. Explanantur voces abstrusiores apud Chymicos usurpa- tæ	20
ART. I. Metallis attributa nomina enucleantur	20
II. Mineralium attributa nomina exponuntur	21
III. Attinentia ad Animalia, & Vegetabilia nomina explican- tur	22
ULT. Instrumenta, & Operationes Chymico usui inservientes describuntur	23
Tabula, in quâ Metallorum, Mineralium, aliarumque re- rum Chymicarum notæ signantur	26

LIBER SECUNDUS.

De Igne, & Variis ejus Operationibus.

CAP. I. Quid sit Ignis	29
II. Quotuplex sit Ignis	37
ART. I. De Igne Actuali, & ejus in Chymia operationibus	38
II. De Igne Potentiali, sive de Menstruis	40
III. De Igne Fermentali	43
CAP. II. De Variis Ignis in Chymia operationibus	45
† 3	ART.

ART. I. De Calcinatione	46
II. De Sublimatione	49
III. De Solutione	50
IV. De Putrefactione	52
V. De Destillatione	53
ULT. De Coagulatione, & Fixione.	54

LIBER TERTIUS.

*De Secretioribus Medicamentorum Chymicis Preparationibus in communi;
& præsertim De eis, quæ ex Vegetabilibus educuntur.*

CAP. I. Quid sit Medicamentum, in quo consistat ejus vis curativa, & per quid differat ab alimento, & Veneno.	58
II. Quotuplex sit Medicamentum in Communi.	60
III. De Materia circa quam versatur Chymia, ut Medicamina educat.	63
IV. De Medicaminibus, quæ ex Vegetabilibus educuntur	64
ART. I. De Modo extrahendi essentiam volatilem è vegetabili- bus.	ibid.
II. De Sale volatili, five essentiali è vegetabilibus parando	67
III. Quâ methodo sal fixum è vegetabilibus extrahatur	68
IV. De Essentiâ Menthæ	69
V. De Essentiâ Tithymalorum, five Esulæ	71
VI. De Essentiâ Sambuci, & Ebuli	72
VII. De aliis vegetabilium succulentorum essentiis	74
VIII. De Essentiis ex siccis vegetabilibus extrahendis, five de Extractis.	76
Extracti Agarici descriptio	77
Extractum Senæ	78
IX. De Scammonij, Aloës, Guttæ gambæ, & aliorum concre- torum suecorum extractis.	79
X. De Extractionibus essentiæ ex Floribus, five de Tincturis	80
XI. De Extractione Essentiæ ex gummosis vegetabilibus	85
Extractionis Essentiæ Terebinthinæ descriptio	86
Essentiæ Thuris extractio	87
XII. De	

XII. De Aromaticorum vegetabilium essentiis	ibid.
XIII. De Elixiribus	89
XIV. De Anodynis	92
XV. De Aceto Destillato	96
XVI. De Spiritu Vini	98
XVII. De variis Vegetabilium decoctionibus	101
ULT. De Specificis quibusdam Vegetabilium medicamentis	105

LIBER QUARTUS.

De Chymicis Magisteriis ex Mineralium Regno præparabilibus.

CAP. I. De Magisteriis, quæ ex salibus, & saliformibus omnibus educuntur.	107
ART. I. De Vitriolo	ibid.
II. De Sale communi	114
III. De Sale Nitro	119
IV. De Sale Armoniaco	123
V. De Alumine	124
VI. De Tartaro	125
ULT. De Aquis Fortibus	130
CAP. II. De Magisteriis Lapidum, Gemmarum, Coralliorum, Unicornum, & similium.	131
ART. I. De Coralliorum præparationibus	133
II. De Margaritis	137
III. De Gemmis	138
CAP. III. De Sulphuris, Antimonij, Mercurij, & similium hujusmodi fossilium præparationibus.	140
ART. I. De Sulphure	ibid.
II. De Antimonio	145
III. De Marchesitæ, Arsenici, & Auripigmenti operationibus.	158
IV. De Mercurio	163
CAP. IV. De Metallorum præparationibus	174
ART. I. De Auro	ibid.
II. De Argento	178
III. De	

III. De Plumbo	180
IV. De Stamno	184
V. De Marte	186
VI. De Cupro.	189
ULT. De Bezoarticis	193

LIBER ULTIMUS

De Chymicis Magisteriis ex Animalium Regno parabilibus.

CAP. Unic. Que animalia sub hoc regno contineantur.	196
ART. I. De Medicamentis Chymicis, quæ ex Homine eliciuntur.	ibid.
II. De Medicaminibus, quæ ex Brutis educuntur.	198
ULT. De Medicaminibus, quæ ex Insectis eliciuntur.	199



D. CAROLI



D. CAROLI
MUSITANI
IATRIAS PROFESSORIS,
PYROTECHNIÆ SOPHICÆ
LIBER PRIMVS.

P R O O E M I U M.



UOTIES ipse mecum confidero institutam nostrorum temporum physiologiæ normam à tot, tantisque Illustribus viris incomparabili felicitate, meliorique eventu aggressam, non modò antiquorum ingeniis anteferendos, verùm longo tractu post se illa reliquisse, nec vel quicquam gloriæ ab illis præreptam certissimè puto. Etenim si antiquorum doctrinam cum nostrorum inventis conferamus, satis apertè cernemus intra angusti temporis spatium innumera prisce medicinæ mysteria detecta, & sexcenta ferè, quæ jam usque ab ultimis nostrorum patrum sæculis fuerant incognita secundo ausu nostræ ætati advecta. Quinimò tot, tantæque nunc præclarissimarum rerum cognitiones, novarumque disciplinarum pulcherrimi partus excoluntur, atque quotidie ad uberio-rem fructum promoventur, ut modò non sit amplius cum antiquis de ipsâ naturâ conquerendum, ipsamque uti novercam accusare, quod veritatem in profundo abstruxerit. Laudabilis sanè ab Hippocrate

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

A

instituta physiologiæ ratio, atque etiam *Galeno*, aliisque præclarissimis viris, quot unquam suspexit antiquitas, laudabilis profectò fuit (non is sum ego, qui ausim quicquam eorum laudi detrahere, audax negotium esset, & impudens), sed non quæ non concedat ingenioso *Harveo*, qui primus sanguinis motu explorato novum mundum aperuit posteritati. Quid dicam de incomparabili *Willisio*, qui cunctas physiologiæ partes novis inventis, admirabili studio, summâque doctrinâ illustravit, primusque de fermentationis naturâ præclarissimè disseruit, undè innumera ferè tum in physicis disciplinis, tum in hominis naturâ nostræ ætati detexit. Per quot sæcula in ignorantiae sinu demersa delituerunt veræ motuum naturalium rationes, chylicationis modus, humoris nutrititii, sanguinis, & succi nervosi distributio, sacci lactei inventum, fellis, glandularumque usus, & sexcenta nostrorum philosophantium impensâ industriâ conquistata artificis naturæ opera. Longum nimis esset singula inventa, & denuò instituta, singulosque auctores percensere, qui regale veritatis iter ingressi decumanam Sapientiæ portam tenuerunt. Sed ut verum fatear, quod negabit nemo, nemo veritatis amator, primum huic operi in natura excitato lapidem chymia jecit. Cui enim hucusque non innotuit ex fermentantium liquorum motu, destillatione, calcinatione, sublimatione, spirituum permixtione, exactaque rerum omnium anatome, quot, quantaque tum in Physicis, tum in Medicis, in universâ, tum denique natura sint adducta. Complurima huc afferrem, & per singula exactissimè percurrerem, si per tempus id liceret, atque cum iis res esset, qui de re Philosophicâ, & Medicâ non essent optimè meriti. Ideoque tantum opus aggrediamur, & pro virili, summâ diligentia, & instituto persequemur, meis tamen cohortationibus alios in re Chymicâ invitare certè animo non est, si res se ipsam commendat; undè alacri animo nervos intendite sic dabit Deus meliora.

CAPUT I.

De Chymia Origine, & Progressu.

Chymiaë originem præsentī cap. à fundamentis auspicaturi, nè illotis, ut dicunt, manibus, non modicæ utilitatis tantum futurum opus tractare videamur; hæret animus satis, nè digna, ut quæ hominum memoriæ prodatur res sit, quippè quæ nihil adhuc habet explorati quis fuerit inventor, quæ primæ originēs, proximaque originibus, ut aliquid certi affirmare, vel refellere possemus. Res est antiqua, & supra omnem hominum memoriam, nec usque ad hanc diem apud Scriptores, qui vetustiorum rerum monumenta posteritati tradidēre, quod fidem evincere potuisset, videre mihi datum fuit. Unde omnia, quæ nunc extant, multa verisimilitudine quadam nituntur, quam credulitate, nonnulla quoque poetis magis decorata fabulis, quam incorrupta rerum priscarum fide nitere conspiciuntur. Nos autem etsi inter sacrum, & laxum stemus, non tamen à proposito rei difficultate deterriti, mentem avertemus, cum pro virili parte satis nobis consuluisse visi sumus nobis videre, si verisimilitudine ducti veritati propius accedere enitemur, itaque quid faciemus, à vero non deflectere omnium consensu apparebit.

Apud omnes jam satis constat Chymiaë usum antiquissimum esse, imò cum ipso ferme nascente mundo ortam fuisse Chymiam, si latissi-

mè illius usum accipere volumus, illud sanè perspicuum reddere potest, primi nempe Parentis lapsus; Etenim tunc primum homo in sudore vultus sui, pane ut vesceretur, ad agrorum culturam se contulit, variasque artes propriam industriam excogitavit, quibus vitam potuisset agere: nec certè instrumenta, quibus terra colebatur, modus quo arva pinguiora fiebant, omnisque agrorum cultura sine Chymia, sive eam natura docuerit, sive industria potius excogitarit peragere, vel quilibet potuisset: Præterea modus panem fermento conficiendi, mustum in doliis fermentandi, aliaque innumera satis id aperte demonstrant.

Sed quia Chymici in metallorum transmutatione, ut ad auri perfectionem illa eveherentur, plurimam operam navarunt, eorumque officium sit, unita corpora solvere, & soluta coagulare, illud manifestum videbitur metallurgos huic arti fundamenta jecisse, & hisce profectam initiis ad hæc usque tempora semper majores in usus crevisse, & vires acquireret eundo; nostri siquidem instituti erit ab his initium ordiendæ rei sumere. Quam verosimiliter igitur poterimus paucissimis dicemus, & absolvemus.

Julio Firmico Constantini Magni temporibus florenti anno à partu Virginis 320. *Samuel Boccardi* Chymiaë inventum hisce verbis adscripsit:

Novum esse inventum, nec illius quemquam meminisse ante *Julium Firmicum*, quod et si *Suida*, & *Eusebius* narrent, nos tamen libentius crediderimus instauratorem potius fuisse, quam inventorem, ejusdem *Firmici* adductus testimonio affirmantis è priscis Chaldaeorum, & Ægyptiorum voluminibus hanc doctrinam in lucem exulisse. Ante multa siquidem tempora Chymiam effloruisse, sat ex duobus, ut multa prætereamus manifestum fiet: Primum liquet *Hermetem Trismegistum* de hac arte non pauca posteris consignasse; certumque est, post diluvium vixisse; non negaverimus tamen in Ægypto plusquam nullibi, & incrementa cœpisse, & dignationem, ita ut variis characteribus, & hyeroglificis tanquam rem pretiosam non cuilibet evulgandam absconderent. Extat, & aliud *Firmici* monumentum, qui Alchymistarum meminit, ut jam dudum cognitorum ab Astrologis in eorum divinationibus, unde ipse *Lib. 31. decret.* Lunæ in nonâ domo hanc prædictionem de Alchymistis scriptam reliquit: *Si Saturni hac domus fuerit, scientiam Alchymiae dabit: si Solis providentiam in quadrupedibus.*

Sed ratio postulat, ut credatur non procul abesse à veritate illud in quod non pauci consentiunt *Tubalcainum* nempe huic arti primum omnium materiam ministrasse, occasionemque dedisse; Legitur etenim in sacris Bibliis *Gen. cap. 4. Sella genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cunctis opera aris, & ferri.* Nec æs & ferrum (et si ad communes usus, & agriculturam parasset) vel fundi, coqui, & ab impuritatibus separari,

ut ad usus fabrefieri potuissent sine Chymico magisterio credibile est: inde ad posteros hanc artem pervenisse, & in majores usus crevisse, non est cur verum non putetur.

Non multo ab hinc tempore terrarum orbis aquis diluvii unâ cum artibus, cœterisque rebus demersus latuit, inde post diluvium *Hermes Trismegistus* quibusdam tabulis in valle Hebron repertis hanc artem excitavit, illustravitque, ut nonnulli ob id inventionem attribuant. Vixit *Hermes* anno ab origine mundi 2000. præceptoremque habuit *Noachum*, ipse postea *Chamephis*, sive *Chusii* magister fuit: Præterea *Isidem* instituisse ex *Diodori Siculi lib. 1.* memoria extat: columnam fuisse inventam narrat in sepulchro *Isidis* ubi ipsamet inscripserat se ab *Hermete* institutam, ejusdem etiam est sententia *Franciscus Patritius in Hermete*, unde *Isidis*, & *Osiridis* temporibus vixisse ex hoc satis liquet. Attamen non nos latet plures fuisse *Hermetes*, ut apud *Cic. 3. de nat. Deorum*, sed hunc illum *Hermetem Trismegistum* putamus ter maximum sacerdotio nempe regali dignitate, & sacrarum rerum scrutatione; primum traditur philosophiam à naturalibus ad divina convertisse. Fertur (sed de auctore parum constat) in valle Hebron post diluvium invenisse tabulam Smaragdinam appellatam, & nonnulli dicunt, in ejus sepulchro à quadam sceminâ nomine *Zara* fuisse inventam, sed quis hujus tabulae auctor fuisset, non satis quoque liquet: Hanc religiosissime venerantur Chymici quippe in eâ certum occultari medicamentum putant, quo

nè dum morbi pellantur, sed ætas quoque omni suo cursu incolumis, & vegeta servetur, illamque etiam continere artem, quâ metalla vilissima summè perficiuntur, sed ænigmatico, & allegorico sensu obscurata, veram expositionem accomodare admodum difficilè, nè dixerim, impossibile à Chymicis reputatur. Placuit illam hic subnectere: Verum est sine mendacio, certum, & verissimum. Quod est inferius, est sicut id quod est superius, & quod est superius, est sicut id quod est inferius ad perpetranda miracula rei unius. Et sicut res omnes fuerunt ab uno meditatione unius: sic omnes res nate fuerunt ab hac unâ re adaptatione. Pater ejus est Sol, mater ejus Luna. Portavit illud ventus in ventre suo. Nutrix ejus terra est. Pater omnis Thelesmi totius mundi est hic. Virtus ejus integra est, si versa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suaviter magnocum ingenio. Ascendit à terrâ in Cælum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superiorum, & inferiorum. Sic habebis gloriam totius mundi. Ideò fugiet à te omnis obscuritas. Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis. Quia vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit. Sic mundus creatus est. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic. Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus habens tres partes Philosophia totius mundi. Completum est, quod dixi de operatione Solis.

Solent plerique pro certo decernere Moysen (qui ab Hermete non longè abfuit) Chymicæ artis peritissimum fuisse, quippè qui vitulum aureum conflatilem, quem opere fusorio Aaron populo Israëlitarum adorandum effinxerat: Combussis (ut

Exod. 32. vers. 20. habetur) & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filius Israël. Sine Chymia hoc fuisse factum credibile non videtur; unde Cornel. à Lapide studiosissimus Bibliorum Interpretæ hæc ita exponit. Conjecit vitulum in ignem, certis admixtis herbis, ut liqueretur in massam, & quasi in carbonem redigeretur, & in verbo contrivit hæc dicit Hæbr. Et moluit usque ad tenuitatem q. d. Moses carbonem illum, vel massam igne extractam contudit, & contrivit in minutum pulverem. Inferitur quoque huic loco fabula noxios haustu aquæ tali cinere respergæ auream barbam, vel labia reportasse, vel in dolores ventris, aliumque morbum incidisse, quamobrem occidebantur, utpotè idolatriæ labe infecti; sed hæc Judæorum sunt fabulamenta, non etenim in hoc idolatræ dignoscebantur, ut Cornel. vers. 28. exponit hisce: Occidat quisque quemlibet occurrentem, etsi arctissimè ibi conjunctum, plerique etenim omnes in populo rei, & conscii erant idolatriæ vituli, idque satis, tum voce, tum ornatu, tum choreis, tum ebrietate, aliisque modis prodebant. Alii apud Ruper. & Albulen. volunt nocentes ab innoxio fuisse discretos potu cineris vituli, inde enim noxios auream barbam, vel aurea labra, alios etiam morbos contraxisse, sed hæc Judæorum sunt fabulamenta.

Nos verò ex his omnibus, quæ hæc enas dicta sunt nil certi decernere audemus, ut Moysen Spagyricum faceremus, ideò aliis pensandum relinquemus. Mariam prophetissam Moysis sororem in chymicorum classe non pauci reposuerunt, etenim in bibliothecâ Regis Galliarum codicem quendam, de Chrysopopæiâ extare

prodit *Isaac Casaubonus* cui tit. est, *Ars sacra*. Laudatur sæpè *Hermes*, & *Maria*, & scripta *Judaica*, quem credimus non ab similem esse illi, qui hodie circumfertur sub nomine *Turba Philosophorum*, cui subjunctus est liber sub tit. *Præf. Mariæ Prophetissæ sororis Moïsis*. Sed sicut reliqui sunt apocryphi, sic hoc quoque existimamus.

Sunt multi in eadem sententiâ constituti, qui quamplurimas à poëtis fabulas effictas de hac arte intelligendas esse putant, qualis est illa *Draconis à Cadmo interempti*, *Hororum Hesperidum*, *Veneris cum Marte rete captæ*, *Atalantæ cum Hippomene*, *Expeditionis Argonauticæ*, quam fabulam *Suida* intelligendam putat, non ut aureum velus arieti eriperent, *Jasōnem* cum *Argonautis* *Cholchidem* cum *Medea* Regis *Æete* filia transvectos fuisse, ut poëtæ fabulati sunt, sed ut librum reportarent, in quo ars aurifactoria continebatur; Sed nos, an his intacta fides sit adhibenda non satis scimus: Quamvis non nos fugiat poëtæ sub decora, & efficta fabularum specie non pauca mysteria, & insigniora philosophiæ arcana cecinisse, ut vulgus aurium tantum dilinimento teneretur, reliqui, & jucunditate apparentis ornatus, & rerum mysteriis animos quandoque delectatione remitterent, quandoque utilitate intenderent; attamen, quæ potior sit in rebus tam obscuris, dubiisque veritas sub fabulis ignorare ultro fatemur.

At ad certiora redeuntibus illud verum est Chymiam apud *Ægyptios* non parvum suscepisse incrementum,

& veluti quid summè venerandum, & sacrosanctum religiosè custodiebant *Ægyptii*, ut Reges tantum hanc exercere, & colere possent, posterisque de regali stirpe in successionem tradebatur: profanum namque censabant divinum magisterium inter populum vulgari, inde tot hieroglyphicis, characteribus, symbolis, allegoriis, ænigmatibus, labyrinthis, (ut proprius fuit huic genti mos) sollicitè asservarunt, quem morem ad hæc nostra usque tempora videmus observatum; Sed eò crevit hæc ars, ut *Diocletianus Suida* scripsit omnes *chrysopopæiæ* libros conquiri, & comburi jussit, nè in posterum hac arte ditati à *Rom. Rep.* deficerent, nam publicæ opes, quibus, vel arma in populos inferebant, vel hostiles impetus propulsabant, arte Chymicâ semper cumulationes cogebantur.

Ex horum præsertim libris *Democritum Abderitam* omnium antiquorum Philosophorum facile principem Chymiam didicisse *Eusebius* auctor est, nam ut *Diogenes Laërtius* in ejus vitâ refert ad *Ægyptios* Sacerdotes profectus est, inque *Perfidem* venit ad *Chaldaeos*, *Magos* audivit, *Indiam* petiit ad *Gymnosophistas*, & *Æthiopiam*, rubrum mare transfretavit, multaque loca tenuit, discendi vehementi cupidine flammatus; Sed præ cæteris clarissimum hujusmodi extat argumentum apud *Senecam* ad *Lucilium*. Excedit porro (loquebatur *Seneca*) vobis eundem *Democritum* invenisse, quemadmodum decoratus calculus in *Smaragdum* converteretur, quâ hodie cocturâ inventi lapides coctiles colorantur. Sine Chymia id evenire

an potuisset, non certè videmus. Divitiis itidè abundavit, narrant nonnulli *Xersem* hospitio exceptum à patre *Democriti* cum decies centenum millium exercitu, & ipsum *Xersem* præceptores dedisse *Democrito* fertur, ut edoceret.

A Græcis ad Arabes Chymiam venisse ex ipsis Arabibus conspiciamus. *Mesues* maximè excoluit, *Avicenna*, etsi nullum ediderit librum, attamen Chymia studiosissimum fuisse, *Sorfanus* in ejus vitâ narrat, ipsiusque industriâ, & culturâ ad non parvum progressum venisse dicit; quòd si omnes Arabes, qui huic arti operam dederunt videre animo fuerit *Andream Libavium* adeas in *exam. sent. Paris. schol. contra chym. lat.*

Apud Monachos latuit post Arabes, nam quod temporis superabat sacris occupationibus expediti, aliisque curis exoluti, in Chymia studium conterebant: quamplures effloruerunt optimi viri, nimirum *Albertus Magnus*, *Raimundus Lull. Savanarola*, *Basilus Valentinus*; cujus viri doctrinæ instituendum traditus fuit *Theophrastus Paracelsus*, qui medicina Chymiam associavit, & ad grandes, & mirabiles usus evexit, inde per totum terrarum orbem pervagata philosophia adjuncta fuit, ut propterea *Joan. Baptista Van-Helmont* securiorem viam ingressus, multa innovare cœperit, perque latiore campum spatiatu complura invenit, quibus Medicina, & Philosophia collustraretur, attamen posteritati magnam partem reliquerunt detegendam, maxima fortuna nostri sæculi: Videmus etenim infinita propemodum inventa sapientissimis

viris hæc sæcula dedisse, à quibus nè dum Chymia, verum etiam Philosophia cumulationi semper novarum rerum accessione collustratur, & locupletatur, quòd ut exteros fileamus incomparabilem nempe virum *Robertum Boylem*, qui inter experimenta vitam omnem transegit, *Thomam Willisium* non vulgari judicio præditum, aliosque famâ, & operibus satis, superque notos; ad domestica me conferam, & inter tot viros omni litteraturæ genere illustres, hos non præteribimus, *Thomam illum Cornelium* Philosophorum præclarissimum, *Renati* genium sortitum, Philosophiæ, & bonarum artium reftitutorem, cui *Partenopæi* suarum virtutum incrementa non immeritò referunt accepta; *Leonardum à Capua*, qui solus abstrusissima naturæ penetralia ingressus nostri ingenii imbecillas vires demonstravit, omni eruditionis lumine, scientiarumque culturâ imbutus, jam suum nomen per omnes penè mundi oras resonans longè, lateque diffunditur; *Joannem Baptistam Capucium*, *Sebastianum Bartolum* gloria nostrorum temporum natos, ut illa meritò bearent, quibus invida mors alienam felicitatem perosa, non sine parvâ jacturâ omnium lachrymis orbavit: Mortuam jam dudum Philosophiam, Medicinam, Eloquentiam, cæterasque disciplinas, nè dum in horum pectore renatas vidimus, verum impenso labore, mirâque industriâ brevi adoletas ad summum culmen evexerunt, omnique præjudicio exoluti, eorum studio, & diligentia Chymia omnibus antiquorum sordibus expolita fuit, posterisque nobilitatam, & adau-

adauctam reliquerunt. Igitur isti omni sanè laude cumulandi non parvam gloriam huic arti quæsi-
erunt, ut nostræ felicitati adscriben-
dum sit, hæc tempora Deorum im-
mortalium munere nos tenuisse.

CAP. II.

*De variis Chymia nominibus, & eorum
Ethymo.*

NON parùm ad perfectam rerum
notitiam nominum varietates
primò perspectas habere, & cogni-
tas, quibus tam artes, quàm scien-
tiæ ornatae fuere, conducit: quip-
pè, ut *Plato in Gorgia* loquebatur:
*Cognitionem nominum sequitur ipsa rerum
cognitio*; Itaque cum in auctores of-
fendimus utilibet varietate usos non
quoddam novum nostris auribus
obrepet, & menti tenebræ offun-
dentur. Cordate igitur *Epictetus* di-
xit: *Initium cognitionis est nominum con-
sideratio*. Merito multa nomina, qui-
bus hanc disciplinam appellitare
consueverunt, tum antiquiores, tum
recentiores in medium proferentes
expendemus.

Alchymiam primùm vocarunt ali-
qui ab *Alych* voce, quæ apud Hæ-
breos fluens facere importat; alii
dictam putant à græca voce *αλχη* &
χημειν, salis scilicet succum, & con-
dimentum (intellige de philosophi-
co) significante; alii dicunt. acces-
sisse ex Arabicâ linguâ articulum *Al*
huic voci *Chymia*.

Alchammiam non pauci appella-
runt à Chamo Ægypti Rege cui hu-
jus Philosophici salis inventio ad-

scribitur, à quo Ægyptus ipsa Cham-
mia nuncupatur, inde Alcham-
miam interpretati sunt salem Cha-
mi, salem Ægypti; Sed decipiun-
tur, nam ut refert *Herodotus*, oppi-
dum erat antiquum in Ægypto, quod
Chemis dicebatur, vel ut *Plutarchus*
auctor est in *lib. de Iside, & Oriside*
sacra Lingua Ægyptus à Sacerdoti-
bus Chemia vocabatur, undè po-
tius Chemia nomen derivasse credi-
bile esset; sed ut liberè dicam, quod
sentio, in hisce rebus nil certi affir-
mare ausim. Attamen alii à *Χύμη*
verbo græco, apud Latinos fundo
dictam putant Chymiam, cum soli-
da fundat, & fusa coagulet. Alii à
Ponchymo nempe succo, vel sapore,
chymiatrī ē quolibet corpore suc-
cum extrahunt purum, & veluti exu-
gunt, natura docente nutritivum
succum ab alimento exugere, par-
tesque inutiles relinquere.

Inspicientes nonnulli ad Alchy-
miam spectare puri ab impuro sepa-
rationem Euchymia nomine orna-
runt, bonum namque elaboratum-
que succum ignis ministerio educit,
purum ab impuro dividens.

Cælius Rhodiginus vir antiquitatis
studiosissimus, & omni literaturæ
eruditione imbutus *Antiq. lect. lib. 7.
cap. 2.* Archymiam vocat, quasi *Argyru*
Chymiam, argenti scilicet fusoriam.

Quamplures artem Hermeticam
appellant ab *Hermete Trismegisto* instau-
ratore, vel inventore, huiusque dis-
ciplinæ professores, filii Hermetis,
& Hermetici dicuntur.

Philosophiam *Mesues* appellavit,
ejusque asseclas Philosophos, philo-
sophorum filios, sapientes: Jure
tamen, nam vel hæc sola naturæ pe-
ne-

Retralia media vitali rerum omnium anatome permeat, vel inter reliquas disciplinas principem locum sibi vindicavit.

Chrysopoeiam non raro dixerunt, utpotè nobilissimæ metallorum in aurum transmutationi addictam. Paracelsus cum aliis recentioribus Spagyricam appellarunt à voce græcâ *σπῆν*, nempe exello, & *ἀγύρην* scilicet congregatio, separat siquidem corporum particulas, & cogit.

Pyrotechniæ nomine ornarunt nostri quoque: nam veluti ignis est officina, cuncta medio ignis labore absolvens.

Denique artem perfecti magisterii, artem magni magisterij, artem segregatoriam, separatoriam, destillatoriam, Hermetis artem, Magisterium sapientium vocarunt.

CAP. III.

De Chymia Definitione, & Partitione.

OMnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio loquebatur Cic. 1. off. debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputatur, hoc etenim veluti primo lapide substrato, omnis deinceps, quæ sequitur partitio bene sibi constabit.

Nostri ut est instituti Chymicam facultatem tractare, ita definiemus, partem nimirum, tam practicam, quam theoreticam comprehendentem: Est ergò Chymia facultas naturalium rerum contemplatrix, ignis, sive alterius artificij quacumque corpora solvens, & coagulans, unde salubriora medicamenta eliciuntur. Contemplatur equidem

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

Chymia corporum principia, eorum compagem dissolvendo, quòd nisi hanc solutionem contemplatio sequeretur, ultrà ad tot artefacta rectè instituenda progredi non posset, hæc tamen ignis ope adjuncta, sive actuali, potentiâ, vel fermentali perficit, ut ex inferiùs enarrandis clarum fiet.

Practicam dumtaxat partem nobis videtur Beguinum definisse in vestibulo Tyroc. chym. cum dixit: Chymia est ars corpora naturalia mixta solvendi, & soluta coagulandi ad medicamenta gratiora, & tutiora concinnanda. Ex tali solutione, & coagulatione profectò perfectiora educuntur medicamenta, quippè spirituosior, & exquisita è corporibus pars separatur, ex quà tota illorum corporum vita oriebatur, quam tamen partem crassior substantia, ex densis particulis compacta conservabat, nimirum per hujus crassioris substantiæ particulas diffunditur, & sub latibulis veluti intrusa cohibetur. Attamen neminem latere arbitror hanc puriorem partem, melioremque corporum succum illum esse, qui tot, tantaque mirabilia patrat, & corporum sanationes perficit, morborum acerbitati resistit, corporumque constitutiones faciliè in pristinum reponit, ut propterea illa puriori parte separata, quod reliquum est, nulla vi, & energia præditum, ut inutile cadaver terra damnata non immerito à nostris nuncupatur. Salubriora certè, & tutiora isthæc sunt medicamenta, utpotè nullo prorsus pacto naturam morborum in commodis implicitam per gravantia, & fastidientia; quippè Chymicæ artis ma-

B

gisterio utile ab inutili, & faculento evellitur, nec naturæ morbo jactatæ operi relinquitur. Ipse quoque *Galenus* (cujus affectu hisce medicamentis hodiè oscitanter obstrepunt) qui Chymiam, vel parum subodoravit medicamenta, pro parte saltem attenuare summoperè expetivit, atque in dies angebatur, ut aliquem exquireret modum quo calidam, purioremque vini substantiam ab eodem vino extrahere potuisset; quippè exquisitissimæ virtutis fore ex eo dijudicabat, quia in parvo vis omnis comprimitur. Inde lib. 11. de simpl. med. facul. cap. 17. scripsit: *Quæ tenuium sunt partium medicamenta, iis quæ sunt crassarum partium plus habent efficacie, etiam si parem sortita fuerint facultatem, nimirum quia melius penetrant.*

Omnis Chymix partitio in tres species præcipuè resolvitur, prima vocatur aurifactoria, quàm à græcis *Χρυσοποιεῖα* dicitur, quia metallorum imperfectorum in nobilissimum metallum aurum, transmutationi præcipuam dat operam. Alia est Philosophica, qua ad naturæ cuniculos subeundos, & rerum proprietates dignoscendas quamplurimæ instituuntur operationes. Alia denique Medica ex hac parte humanorum corporum natura inspicitur, unde ut eorundem salutem tutari possit nobilia medicamenta majori vi, & efficaciam præditâ, nec injucunda, sed grata quibuslibet tutiora exquirat. Aëris quoque, & aquarum salubritatem, morbos aliaque ad humani corporis valetudines spectantia exactissime vestigat. Attamen hanc partitionem ex ipsius Chymix vario

hominum usu ad quamplurima agenda profectam certè arbitramur, etenim Chymiam ex se artem à reliquis distinctam esse nemini in dubium cadere semper existimavi.

CAP. IV.

De Chymix Officio, Necessitate, & Dignitate.

OMnia, quæ in universo cernimus, atque in admirabili naturæ libro legimus, usque ad hanc diem profundo sinu abstrusa jacerent, nec tantarum rerum notitiam adepti ad secretiora, & nobiliora contemplanda provecti essemus, nisi Chymia dirigente, usum ignis ad naturæ arcana aperienda adhibuisset. Hujus namque usus quanti sit ad Chymix operationes rectè institutas, illasque ritè exequendas, ex hoc perspicuum sat esse potest, cum nec metallorum, mineralium, aliarumque rerum hujus artis ministerio, siue solutiones, & fixationes, purificationes, & transmutationes perfici possent. Ad hoc omnis Chymix spectat labor, & officium, & quæ ad ignobilium in nobiliora metallorum transmutationem tanquam ad unum scopum dirigit, nisi solutionis, purificationis, &c. ministerio sint adjuta, omnis spes frustabitur, & opus. Hoc proprium est ipsius officium, ut purum ab impuro secernat, siue spiritus inflammabiles è corporibus educat, siue sulphur, & sal separet; Videmus etenim spiritus inflammabiles è quolibet corpore educi substantiæ æthereæ tam affines, ut cujuslibet vasis poros subeun-

subeuntes evolent, vel vitrea sint hermetice obfignata, vix contineri queant: Hæc non nisi pars illa purior est in unoquoque corpore dispersa, & latitans, quæ veluti ætherea est facile mobilis, itaut singulorum corporum particulas spontè pervia pervadat, ideoque quantum locumque motu sit agitata illicò ignem concipit, & tota in flammam lambentem abit.

Sulphur quoque secernitur hujus substantiæ aliquantulum particeps in flammam urentem facile erumpens, attamen magis crassiæ substantiæ in se admiscet, undè flamma spissior evadit, non uno, raroque colore prædita ex variis, densiusculis particulis constans, itaut alium motum superiores coni partes, alium mediæ, aliumque in basi ipsius coni flammæ nostris oculis cieant, undè varij colores ex varia æthereorum globulorum in oculo existentium juxta rectas lineas propulsorum agitatione animæ repræsentantur; Undè illud quoque observamus flammam tenaciùs hære, ut propterea absumpta quid faculenti post se relinquat: non secus ac oleum (quod sulphuris pars quædam videtur esse) Chymico magisterio è corporibus separatam, hujus crassiæ substantiæ aliquid admiscere cuilibet satis manifestum est.

Sal tandem, quod secernitur, sive fixum, sive volatile quendam latentem spiritum cohibere intuemur (magis tamen exaltatum in volatili sale, quam fixo, hic etenim supra partes substantiæ cujusdam magis crassiæ, seu terrestri, quàm illam sulphuris dicebamus, fixatur) ubi ipsa

rerum semina insidere, & occludi non alienum à veritate videtur. Ipsamet experientia duce, comiteque ratione docemur, nec terram in fructus germinare, & herbeculas, vel minimum cespitem edere, suo sale seminali, ut ità dixerimus, orbatam; loca siquidem montana, & maximè accliva, vel prorsus sterilia evadunt, vel rara admodum herba circumvestiuntur, brevi duratura, quippè aquæ lapsu ad decliviora fertur unà sal cum ipsâ aquâ dilutum, ubi verò in aliquas vallecultas depimitur mons, ibi fertilior seges, & luxurians herbarum copia latissimè frondet, nec ex stagnanti humore sal abluatur, imò magis abundat, cum aqua ex supernâ parte delabens illo sale referta, & inibi stagnans, illud quoque deponit, totumque à terrâ exhauritur. Undè falsum est quod vulgò creditur sterilia hæc loca ex humoris defectu fieri, cum apertè falsum convincatur, etenim propè montium cacumina ubi fontes perenni lapsu erumpunt, credibile non est, aquarum penuria viciniora, & summiora loca laborare, quod etiam manifestum esse potest, si terra effodiatur continuo humor exiliet, attamen herbarum cespes, vel nullus, vel rarus progignitur; sed ubi aqua copiosius rigat proximum marginem, & vicina loca, muscosa quadam lanugine vestit, & ornat: Nullus igitur locus, etsi summus aquis destitui potest, quia aqua subter terram permeat, perque ejus viscera hinc, inde delabatur, & ad superiora enitens evadit, vel filtrationis ope, vel evaporationis à continuo viscerum terræ calore

ad frigidam ejusdem terræ extimam superficiem delata, ubi impingens, à frigore densata guttatim in stillicidia decidit. In sale igitur terræ semen residet, nec ob aliud campi stercoreantur, & stipula incenditur, nisi ut pinguior fiat, nimirum sale copiosiore abundet: Stercus, & cinis multum salis nitrati, & alkali continet. Atque ut id magis, magisque ratum fiat, & testatum non prætereundum illud putamus quod complurium observatione dignum fuit, sol è vegetabilibus, aliisque corporibus separatum, cum vasis parieti adhærescens, paulatim concrescit, vegetantis plantæ, semini, & foliis, à quibus elicitur in bullas gliscens; ità assimulatur, ut quandoque difficile non sit ex ipsomet sale plantam dignoscere, quod non immeritò philosophantium ora, oculosque in se convertit, & rapit.

His, aliisque partibus corporibus spoliatis, id quod remanet apud chymicos caput mortuum nuncupatur, non tamen omni re denudatum, ut prorsus inutile sit, nam aliquam salis, alteriusve rei particulam licet exilissimam continet, ità tamen ut hac privatum restat tandem terra quædam, quam utpotè nihil in se utile admiscens damnatam vocarunt. Hoc præcipuum est Chymicæ officium, supra quod ceteræ quæ instituuntur operationes, tali substruuntur fundamento.

Horum omnium necessitas ex illo innotescet, tum quia ad vitæ usum est comparata, tum ad naturæ arcana diligentius exploranda. Quot, quantaque nobilia medicamenta parentur, à quibus nostra vita usque

ad lapsantium annorum cursum satis benè firma conservatur, cuilibet ex inferius enarrandis patebit, nec id solum præstat, verum absque eo quod fastidij periculum urgeant medicamina sub parva mole compressa componit majori vi prædita ad mala propellenda, morbosque profligandos: Nec naturales corporis functiones à naturâ absolvi possent, nisi ipsa Chymica quadam arte uteretur, quippè fermenti ope cibum concoquit, & purum ab impuro seceruens in omnes corporis partes distribuit, aliaque perficit, quæ relinqui brevitatis nos monet. Hanc artem Philosophi ad naturæ aditus, & secessus penetrandos, ut liberiori pede excurrerentur, traduxerunt, & utpotè apprimè necessariam non sine uberto fructu amplexati fuere, quæ profectò aperta, omnibus patefacta est janua, & strata fuit via ad illud philosophiæ studium excolendum, quo nostra atas melioribus auspiciis nata, quam priora sæcula, beata fuit, ut non modò antiquorum sorti non invidendum nunc fore arbitror, verum in maximam felicitatis partem semper duco, in hæc tempora invidisse, quibus omnes penè naturæ thesauri reaserati largiori pænu nobilitati homini Philosopho se demonstrant, non immeritò namque hoc philosophiæ studium ad delectationem animi, mentisque jucunditatem comparatum, sine quo hominis nomine indigni omnes videmur, cum ut loquebatur Cic. 1. *Academ. 9. Nec ullum ut apud Platonem est majus, aut melius à Diis datum munus homini, ad summum perfectionis fastigium est evectum*; Summa hæc laus omnis Chy-

Chymia danda est, quippè nec per experimenta philosophari concessum esset, undè ratio solidior confurgit, nisi Chymia usum ministrasset, & modum, nec salubriora medicamenta ad corporum sanationes collata instituerentur, & eorundem constitutio cognosceretur, nisi Chymia dirigeret, & Philosophia variis hujus operationibus fecundata contempleretur, ità ut altera alterius ope, & consilio vigeat, & polleat.

Ex his, quæ hætenus dicta sunt non difficile erit cuilibet satis apertè cernere dignitatem ipsius Chymia, ideoque non multum laborandum in hoc existimamus: Siquidem siue ejus originem consideremus, siue progressum, semper nobilissima, nè dum digna ministeria tractavit, & ad altiora animum adjecit. Pèperit hanc artem spectatissimum illud desiderium transmutationis imperfectorum metallorum in perfectiora, ut auro mortalium sitis accenderetur, atque ut id assequeretur, & voto cuncta cederent ad naturæ librum evolvendum se addidit, inde rei difficultate subacta (non dixerim vanitate) locupletioresque auri venam effossa (verum nempè philosophandi fontem) ad naturæ penetralia recludenda se convertit, undè inexhaustæ in dies semper succrescunt venæ, & quia sub naturæ censu microcosmi quoque venit contemplatio, ejus considerans structuram non pauca adinvenit, quibus ejusdem conservatio stabiliretur, quæ omnia non modo ejus dignitatem supra alias artes, & nobilitatem demonstrant, verum eminentiam, ut procul ab omni dubio videatur illis

meritò dignam nominibus, quibus antiquiores ornavunt.

CAP. V.

De Chymia Sectis.

MUndus ut rerum varietate componitur, atque non una, eademque facie vestitur, ità hominibus velle suum cuique inest, nec eodem voto vivunt, indè tam variae sunt hominum, tamque discrepantes in una re sententiæ, quod admirationi non sit; nos quotidie litium assiduo conflictu jactari, & dissentionibus agi: Non secus ac in cæteris rebus qui Chymiam excoluerunt, non in eadem sententiâ sunt constituti, sed in varias sectas divisi, quisque pro sua acerrimè contendit, quorum nobis molestum non erit dinumerare.

Omnium prima Arabum fuit, apud quos maximè claruit, sed magnâ, & meliori sui parte mutila, utpotè metallorum duntaxat transmutationibus addicta, auri cupidine illecti, cujus constructioni omnibus nervis contendebant, complures effloruerunt auctores, quos *Andreas Libavius in exam. Paris. schol. contra chym. lat. recenset.*

Nec minùs illa Monachorum manca fuit, quæ post Arabes effloruit, multis siquidem Aristotelicorum præjudiciis obvoluta, licet *Albertum Magn. Raimundum Lullium*, alios hujus farinae Viros habuerit.

Harum illa celebratior est Hermetica, tam antiqua, quàm nova à *Paracelsò* una, altera ab *Helmontio* in-

stituta; *Theophrastus* siquidem *Paracelsus* Anno à partu Virginis 1493. in Helvetiâ natus, nè dum à patre in Chymiâ institutus, verùm florentissimis in hac arte viris traditus fuit, qui novam ingressus viam, novam doctrinam, & philosophandi methodum in lucem protulit, & licet subtilissimis disquisitionibus naturæ penetralia sibi visum fuerit ingressum; attamen toto erravit cælo, dùm potius densiorem nubem obduxit, suâ non dixerim obscuritate, & tenebrosâ jactatæ mentis infelicitate, sed confusa, nunquàm sibi constante doctrinâ, quæ nocte ipsa cæcior tantam caliginem adduxit, ut animos potius fatiget, quam vel minimum roboret, abjiciat, quam attollat. *Cothurno*, ut dicunt *versatilior* videatur, quippè principia, quæ ad naturalium rerum contemplationem summa firmat industria, sæpissimè evertit, aliis, vel de novo confictis, vel ex diametro pugnantibus, multoties negando, quod affirmavit, & quam statuit doctrinam, se ipsum oblitus magno molimine aggredi conatur, ita *Paracelsus Paracelsò* pugnat, & secum ipse acerrimè contendit. Quam plurima loca infinitis propemodum scatent paralogismis, & omnia excomposito vernacula conspurcata, & obtenebrata dialecto. Non rarò nebulosus homo turture loquacior velut principis naturæ comes esset, & minister fumos vendit, ut liberè cum *Horat.* loqui possimus: *Quid ferat hic tanto dignum promissor hiatus.* Sed quod magis est curiositate dignum infensus *Galeno*, & ipsum subsannans, in *Galenì* dicta relabatur, elementa, &

qualitates supponit, aliaque *Galenì* exscripta figmenta à bonâ Philosophiâ aberrantia; dicam de hujus ingenio, ut celebre illud extat apophthegma, *benè currit Theophrastus, sed extra viam*; Attamen ut verum fateamur in Theoriâ infelicior Vir, in praxi felicissimus fuit. Sed prætereundum non putamus digito velut ejus principia monstrare, quippè ejus famæ rumor apud omnes increbuit.

Non multùm ab *Anaxagora* (qui omnia in omnibus inesse voluit, nec de novo quid fieri, sed quod latebat segregari) dissidet *Paracelsus*: Elementa, ut rerum matrices, & thecas omnium semina occludentia posuit, quæ inanitates, seu vacuitates vocavit, ut pro cunctorum corporum receptaculis statui possent. In duos globos universum distinxit: Superior (qui firmamentum, seu Cælum dicitur) ignem, & aërem continet; inferior Terram, & Aquam. Quinque rerum principia esse voluit, duo passiva visibilia, seu materialia, tria activa invisibilia. Primi generis sunt *terra damnata*, quia sicca omni activitate nudata, tantum emplastica vi prædita est. *Phlegma*, quia insipidum nullo odore, sapore, tantum humidum est, hæc duo principia *Relolluca* appellantur à *Theophrasto*, utpotè nulla seminum vi ditata, vel quidquam agentia: Vulgaribus elementis correspondent, terræ scilicet, & aquæ. Secundi generis sunt *Mercurius*: ab ipso definitur, est humor acidus æthera permeabilis, subtilissima, vivifica, & spirituosâ substantia, vitæ pabulum, & *Ufia*, sive essentia, for-

forma, vel formæ instrumentum. Vocatur variis nominibus, nempe spiritus, spirituale, movens, informans, intelligentia, intellectus. *Sulphur* est humor ille oleaginosus, substantificus, caloris conservator, primigenius partium, vegetandi, transmutandi instrumentum, dulcedinis, & odorum scaturigo. Vocatur agens, natura, & iudicium, anima, forma, principium formale, & inflammabile. *Sal* est principium omnis firmitatis, & soliditatis auctor, per quod corpora dissolvuntur, coagulantur, detergantur, unde sapor omnis emanat. Vocatur corpus, patiens, principium fixum, materia, materiale.

Hermetica nova à *Joanne Baptistâ Van-Helmont* instituta *Aristotelis, Galeni, & Theophrasti* præiudiciis non sanè libera, eorumque triciis sæpiissime obtexta, etenim qualitates cum istis supponit, *Paracelsiam* quandoque deformat, ut reformet: Philosophiam incohavit (ut *Cic. Varroni* dicebat *Academ. 1.*) *ad impellendum satis, ad docendum parum.* Verùm theoriæ nitore non certè aspernanda, duo statuit rerum naturalium principia, *Aquam, & Ens seminale*, de quibus infra.

Altera secta ex his confluit, quam *Galeno-Chymicam* appellant. Firmitatem rerum chymicarum oculatiores *Galenici* respicientes, non audentes, nec valentes negare, terra, marique, ut dicitur, conati sunt, *Aristotelisque* principiis, & deliriis explicare, & associare; Sed mare cœlo miscere dubium non est. Quid commune habent: *Chymicæ* principia cum horum commentis?

Aliam, non Aristotelicam Philosophiam addiscat oportet, qui *Chymicæ* animum advertere intendit. Ex hac enim agglutinatione dubito quin monstrum illud nascatur *Horatianum.*

*Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere
plumas,*

*Undique collatis membris, ut turpiter
atrum*

Desinat in piscem mulier formosa superne:

*Spectatum admissi risum teneatis
amici.*

Vel illud Aristotelicum apud Scholas celebratissimum, Entis rationis.

Nos verò in hisce institutionibus hanc Spartam non aggredimur aliorum principia per trutinam traducere, sed experienciâ duce veritatem assequi conabimur.

Verùm quia corporum transmutatio, & virtus in principiis componentibus residet, ideò ut clariori luce ad eorum virtutem eliciendam procedamus, aliqua de eorum principiis prægustabimus, nè sicco vestigio rem aggredi videamur.

CAP. VI.

Præsupponuntur aliqua de corporum naturalium Principiis ad dicendorum intelligentiam necessaria.

S Pagyrice facultas, dum naturalia corpora mediis variis ignis operationibus tractat, ut utile, ac purum ab illis educat, rejectis inutilibus eorum impuritatibus, non aliter id perficit, nisi separando eorum prin-

principia, à quibus naturæ corpora in esse, & operari constituuntur; nam cum omnis corporum virtus, ac operatio à chymicis quæsitæ ex illorum essentiâ pendeat, & omnis essentiâ, ex principiorum componentium esse prodeat: hinc antiquam varias ignis operationes ad principiorum separationem directas examinandas aggrediamur, aliqua de principiis naturæ lumine hic præsupponenda duxi, & quidem

Primò supponendum omnia corpora naturalia ex duabus tantum constitui causis, sive initiis, in esse, & operari, materia scilicet, & efficienti intrinseco, seu materialiter constare ex aquâ, essentialiter verò, & quidditative ex ente seminali, sive interno spiritu, efficienti intrinseco, quem lumen appellamus.

Patet naturæ lumine, & quidem quo ad primam partem, quod scilicet omnia naturalia materialia constent ex aquâ demonstratur experientia ab Helionio adducta, *Tract. cui tit. complex. atque mist. elemental. figm. S. 30. p. m. 68.* inquiens: Omnia vero vegetabilia immediate, & materialiter, ex solo aquæ elemento prodire hac mechanica didici. Capi enim vas terreum, in quo posui terram in clibano arefactam libras 200. quam madefeci aqua pluvia, illique implantavi truncum salicis, ponderantem libras quinque, ac tandem exacto quinquennio, arbor inde prognata pendebat 169. libras, & circiter uncias tres. Vas autem terreum, sola aqua pluvia, vel destillata, semper (ubi opus erat) maduit, eratque amplum, & terra implantatum, & ne pulvis obvolitans terram commisceretur, lamina ferrea, stanno obducta, multoque foramine pervia, labrum vasis

tegebat. Non computavi pondus foliorum quaterno autumnio deciduorum. Tandem iterum sicavi terram vasis, & reperta sunt eadem libra 200. duabus circiter uncias minus. Libra ergo 169. ligni, corticum, radicum ex sola aqua surrexerant. Ex adductâ mechanica, sicut aperte patet, vegetabilia materialiter ex solo aquæ elemento prodire: sic proportionaliter de cæteris hujus orbis productis seminalibus, mineralibus scilicet, & animalibus pronunc discurrere poteritis, cum demonstrationes, quæ ex animalibus, & vegetabilibus huc adduci possent, brevitatis causa omitto.

Quò ad secundam nostræ suppositionis partem, quod scilicet essentialiter unumquodque corpus ex ente seminali, sive spiritu intrinseco, sive luce tanquam principio omnis motus, ac formationis, & alteritatis corporis uniuscujusque in quo talis conditur spiritus, facile etiam demonstrari potest lumine naturæ, & quidem

Primò, quia omnes quas videmus corporum operationes alij tribui agenti non possunt nisi intrinseco huic spiritui in eorum aquæ centro condito: Etenim ei agenti tribuere debemus actiones, quo posito exponuntur, & quo ablato, auferuntur: manente tamen hoc spiritu in intrinseco corporum nucleo, talia corpora conservantur in suo esse, specificasque edunt actiones, & ablato, corpora destruuntur, & omnes actiones auferuntur: Nam si omnia semina vegetabilium e. g. quæ aliàs tali spiritu ditata, fecunda sunt illo destituantur infæcunda, ac inutilia evadunt, nec amplius talia semina

in vegetabilis productionem aspirant, haud quaquam operantur, sed veluti inutilia cadavera omnium operationum specificarum expertia jacent: ità si supra triticum v. g. vel aliud semen, aliàs facundum, acetum asperges, aut fermentum in eo aliter excitabis, statim comperies talem spiritum fermentali conturbatum motu, evanescere, undè talia semina infœcunda redduntur.

Secundò talem spiritum esse tanquàm essentialē constitutivum, seu entelechiam omnium corporum luculentius demonstrat spagyrica: Nàm si vinum, cervisiam vel alios vegetabilium succos prius fermentatos distillaveris, statim leviusculo ignis calore ex eis elicies substantiam quandam volatilem, ætheream, inflammabilem totius concreti crassum, atque naturam redolentem, hac substantia, dum talia corpora privantur, remanent veluti inutilia phlegmata omnis saporis, odoris, vel alterius actionis expertia.

Supponendum secundò corpora omnia naturalia suas mutationes, sive generativas, & substantiales, sive alterativas, & accidentales in hoc orbe subire solius fermenti beneficio, quod ut dicemus, nihil aliud est, nisi quædam indita excitativa potestas promovens internum corporum ens seminale, quod omnis motus in corporibus est initium, & causa, ut infra demonstrabimus. Condidit namque Altissimus ille rerum patrator singula corpora in hoc sensibili orbe, quibus proprium dedit esse per ferax illud verbum fiat, ac facunda etià benedictione, terram (*quæ aliàs inanis erat, & vacua*)

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

postquam seminibus, animalibus, mineralibus, &c. replevit, indidit quoque illis potestatem crescendi, ac multiplicandi super terram, ut scilicet successivis generationum periodis illam replerent. Hoc igitur, quo mediante creaturæ omnes in suas moventur productiones, aliosque motus, fermentum vocant spagyrici, est quæ diversum juxta uniuscujusque interni seminis, sive spiritus seminalis, uniuscujusque corporis diversitatem. Sed hæc clariùs patebunt ex dicendis cum de igne fermentali.

Supponendum tertio, differre inter se universi corpora propter interni ignis, seu spiritus in penetralibus aquæ concepti formam, sive Ideam secundum situm, vel figuram in eo ideatam, sive impressam, quæ dum in materiâ exprimitur, materialem quoque format corporum differentiam. Quam ideam nacta fuere producta naturalia in initio eorum creationis, dum per verbum fiat, fuit extra causas posita illa essentia, sive idea, eo modo quo in mente Creatoris erat ideata. Sic essentia, seu primum constitutivum, sicut & primum distinctivum, seu principium motus, & quietis (quæ synonyma sunt) corporum naturalium est idea, quæ internum corporum spiritum, sive semen determinat, illique communicat vim seminalem corporum naturalium productivam.

Hæc de rerum naturalium principiis libavimus, quia eorum usum ad dicendorum intelligentiam per necessarium existimamus.

At quoniam apud nonnullos spagyricæ facultatis professores con-

fueta est Paracelsianorum principiorum, *salis* scilicet *Sulphuris*, & *Mercurij*, seu salis, liquoris, & balsami usurpatio. Hinc pro hujus rei coronide hic nobis duo remanent inquirenda. Primò, quid *Paracelsus* intelligat per hæc sua principia. Secundo an veri principij rationem habeat. Pro qua re

Supponendum quartò, quòd mediâ ignis anatome tres substantiæ, triplici specie, seu formâ invicem distinguibiles è corporibus universi educi solent à Spagyricis, quas ob analogiam, quam dicunt cum sale, sulphure, & mercurio, ità appellavere Paracelsistæ cum *Paracelso*, easque tanquàm rerum naturalium principia asseruere.

Et quidem primò mediâ destillatione, quandoque è corporibus educitur substantia quædam ætherea, volatilis, facile inflammabilis, ac sulphurea, & ob analogiam, quam dicit cum minerali sulphure, sulphur appellatur. Hanc etiam substantiam balsamum dixerunt, tum quia balsamicâ ut plurimum pollet virtute, tum etiam quia ex ejus conservatione in corporibus balsami ad instar, ea à corruptione præservat & ex ejus educatione illa statim corumpuntur. Appellant etiam ignem vitalem, tum quia omnis calor vitalis corporum ab eo prodit, tum etiam quia sulphurea dicta substantia, dum è corporibus educitur, ignea præstat vi, ut dicemus *cap. de Igne potentiâli*; tum quia eo excitato, aut è solari lumine per conum in puncto unito, aut ab alio igne producitur, & accenditur in corporibus ignis. Vocant demùm dictum

sulphur animam, quia sicut anima, sive internus spiritus corporum continet crasim, speciem, ac essentiam, à qua omnes emanant corporum activitates, ità animadvertentes hæc à dictâ sulphureâ substantiâ prodire, animam ideò eam nuncupavere.

Secundò mercurium vocant liquorem quendam acidum permeabilem, qui ob analogiam, quam habet cum vulgi mercurio, sic eum appellant. Nam sicut mercurius est radix, & materia omnium metallorum, ità ut junctus soli sit Sol, junctus Veneri in Venerem degeneret, &c. ità quoque liquorem hunc ceu corporum omnium materiam dixere, adeò, ut in ligno sit lignum, in brassicâ sit brassica, in lapide lapis, &c. Vocant etiam hunc liquorem humidum radicale, quia secundum eos est radix, & pabulum sulphuris, in quo tanquàm in suâ radice stabulatur, gliscit, operatur.

Tertiò demùm sal inquirunt esse corpus, sive principium illud fixum mirandis virtutibus præditum, omnium saporum, & soliditatis corporum auctorem, appellantque sal ob maximam similitudinem, quam habet cum sale communi, dum è corporibus extrahitur.

Hæc inquirunt esse rerum naturalium principia activa Paracelsistæ, quibus duo alia addunt principia, quæ passiva materialia, & omnis virtutis expertia asserunt, & sunt illis *Terra damnata*, & *Phlegma*, quæ tamen cum nihil agant secundum ipsos inter vera principia essentialiter participantia, non numerantur. Tria autem supra enumerata aiunt essentialiter principia esse, &

mutua Sigizia inter se unita corpora naturalia constituere asserunt. Hinc vocatur ab eis sal materia, sulphur forma, mercurius spiritus. Sal patiens, sulphur agens, & mercurius informans, vel movens. Sal principium fixum, sulphur inflammabile, mercurius vaporosum. Sal materiale, sulphur formale, mercurius spirituale. Sal ars, & sensus; sulphur natura, & iudicium; mercurius intelligentia, & intellectus. Demum præcipuè asserunt, quod sal se habeat ut corpus, sulphur ut anima, & mercurius ut spiritus.

Ex quibus breviter hinc adductis rectè percipere poteritis quid sibi velint Paracelsistæ per sal, sulphur, & mercurium, ac quomodo ad varia componenda corpora per eos concurrant. Videndum nunc est, an veri principij rationem habeant; hinc

Supponendum quintò, Paracelsistarum principia verè, & realiter non esse prima principia, ex quibus, unumquodque corpus componitur, & in suo esse constituitur, sed ea nihil aliud esse nisi substantias in corporibus pro seminum exigentiâ productas, sive ignis activitate ex illis eductas. Non tamen esse primas, & simplices, ut principia, sed ex aquâ, & ente seminali diversimodè compositas pro uniuscujusque seminis, exigentiâ.

Demonstrari id facillè per ignem potest, quia dicta tria invicem transmutantur, & resolvuntur in alia se ipsis simpliciora: ergò dicta tria realiter, & verè non participant, cum ipsa ex aliis componantur, neque sunt prima, ex quibus omnia

corpora componuntur, cum non omnia corpora in ea resolvantur. Probatur experientiis, quibus compertum habemus, tam mercurium, ut ajuut, quàm sulphur in sal transmutari secundum unam partem, & in aquam elementalem secundum aliam, manente deinde ipsâ aquâ non resolvable in alia principia, tam ab arte, quàm à naturâ. Sic omnis res oleosa, sive sulphurea, sive mercurialis per attactum salis alkali secundum unam partem in salem, & secundum alias in aquam elementalem resolvitur, ut si spiritus vini v. g. vel alia similis sulphurea inflammabilis vegetabilium substantia, ex sale tartari, aut sibi simili cognato destilletur, pro decimâ sextâ parte transmutatur in salem, & reliquum totum quod destillat, est simplex elementalis aqua. Rursus omnis sal alkali addita pinguedine, vel simile aliud per quod seminis coagulantis nexus dissolvitur, etiam in aquam transit, ut in sapone, & similibus accidit. Præter quamquod omnis sal alkali antea sal non erat in mixto, sed combustionem fit sal, per colliquationem scilicet spiritus interni seminalis cum aquâ, non secus ac Arsenicum, & sal nitrum ambo volatilia per mutuam colliquationem fixantur, &c. Maneat nunc ergò tria Paracelsi principia, vel produci à corporum naturalium intrinseco semine, vel ab igne educi; nam alibi clariùs patebit ea componi ex aquâ materialiter, & ex ente seminali formaliter sive essentialiter; hic autem per tempus non licet in theoriis ulterius immorari, sed his sufficienter pro

dicendorum intelligentiâ præsuppositis, ac libatis; ut ad nostrum institutum redeamus, sit

CAP. VII.

Explanantur voces abstrusiores apud Chymicos usurpatae.

NE in vocum obscuritate, quibus Chymia utitur, hallucinentur Tyrones, eas breviter enucleare necessarium ducimus; nam peculiaribus, ac propriis Chymici utuntur vocibus, quæ vel ad arcendos prophanos, vel ut utantur sermone *Paracelsi* vernaculo, (qui proprio idiomate hanc artem scripsit) in Chymiâ usurpantur: operæ pretium igitur duximus, magis necessarias, & abstrusiores Chymici idiomatis explicare, sit igitur

ART. PRIMUS.

Metallis attributa nomina enucleantur.

CUM Chymiâ operationes suas ad materiam mediis instrumentis, & ministeriis dirigat, nè sine ordine in hac re procedamus, prius ad materiam spectantes voces, deinde ad instrumenta, & ministeria, postremò ad operationes explicemus.

Metalla enim *Platonius Proculus* primus Planetarum nomine appellavit, quem secuti Chymici, vel ab analogiâ ducti, vel ut aliquam operationem explicando indoctis occultarent, singulis metallis singulorum Planetarum nomina, & characteres

illis ab Astrologis attributa assignarunt, & primò.

Metallorum nobilissimum aurum, præstantissimi planetarum Solis scilicet nomine, & characterè signarunt.

Argentum Luna appellatur, & Lunæ characterè insignitur.

Ferrum Martem nominarunt, & Martis characterè signaverunt.

Argentum vivum, vel Hydroargentum ob Mercurij similitudinem, à Mercurio nomen, & signaturam accepit.

Stannum Jovis nomine, & Characterè, decoratur.

Cuprum, sive Aurichalcum Veneris, & nomine, & characterè gaudet, tum ob analogiam, tum quia in Cypro Veneris insulâ abundantius, & nobilius reperitur.

Plumbum Saturno debet, & nomen, & signum.

Ulterius Solis nomine, & Microcosmi, Cor à Chymicis aliquando significatur, & hoc ut volunt, quia sicut à solis motu, totius macrocosmi pendet armonia, ac conservatio: sic à cordis motu microcosmi quoque pendet vitalis consonantia. Undè aliqui hac ducti analogiâ aurum cordi amicum asservere. Sic quoque Lunæ nomenclatura cerebrum denotat, & cerebri morbis ab argento accersitis medicaminibus occurrere prætendunt. Sed hæc nimis à re nostrâ aliena videntur; nam nos probabimus, cum de medicamento essentia agemus, non ab imaginatis Planetarum analogiis, sed ab interno Astro uniuscujusque medicaminis vitæ nostræ symbolicè applicato morborum perfici curationes,

tiones, ipsa operante natura, quæ secundum Hippocratem nostrum morborum est vera medicatrix.

Virtutem quoque siue potentiam rerum, nedum mineralium, sed etiam vegetabilium, & animalium ex præparatione acquisitam, Astrum Chymici appellare consueverunt, an quia corporum illa energia ad Astralem, Æthereamque essentiam exaltata, Astrorum ad instar per suum Blas in morbis depellendis operatur; an verò quia secundum Arist. 2. de generat. animalium cap. 3. corporum semina per correspondentiam elemento stellarum explanare nituntur, unde defæctas è materiæ impuritatibus Chymici ministerij beneficio rerum virtutes, Astrum appellant; An denique quia aliqui Astrologicis nimis credentes, putant à celestibus constellationibus ortas.

Sic quoque eodem præjudicio ducti aliqui Tetrarchias veluti in hisce inferioribus singulis tribuunt planetis. Soli enim è mineralibus aurum. E gemmis carbunculum, rubinum, hyacinthum, ætitem, & succinum, quæ omnia solaria vocant. E vegetabilibus, omnia aromata, acetosam, boraginem, buglossam, calendulam, chelidonium, heliotropium, hypericon, cichorium, & similia. Ex animalibus leonem, &c. quæ generosa, & hilaria sunt.

Lunæ præter argentum, è mineralibus subjiciunt alumen, corallia, & similia. Ex vegetabilibus Agnum castum, alkekengi, & similia. Ex animalibus canem, capram, &c.

Saturno ex mineralibus plumbum, saphirum, magnetem, & omnia

terrea, quæ dicunt fusca, & ponderosa. Ex vegetabilibus Apium, opium, herbam paridem, &c. Ex animalibus Bufonem, & omnia solitaria, nocturna, & tristia.

Veneri cuprum, Berillum, coriandrum, &c.

Mercurio argentum vivum, althæam, anisum &c.

Sic enim quoque Zodiaci signis subjectas esse volunt omnes materias à Chymiâ tractandas; hinc præinde, herbas, semina, & radices jubent colligi debere, cum sol hoc, vel illud ingreditur signum, cui illarum quælibet subjici asserunt. Sed hisce, & similibus omissis somniis tanquàm vanis fabellis in reali philosophiâ immittis, ad utiliora accedimus. Qui verò plura de his desiderat, legat Carrichterum, qui ad tædium usque hæc insinuat.

ART. SECUNDUS.

Mineralium attributa nomina exponuntur.

ANtimonium ænigmaticè dicitur *lupus*, quia ut lupus omnia ferè animalia vorat, sic etiam Antimonium omnia metalla, præter aurum, absomit. Dicitur *Proteus*, quia ignis beneficio multiplices colores induit. Vocatur etiam *radix metallorum*, quia quasi fundamentum illorum est; omnibus enim metallis adjacet, unde à nonnullis statuitur ipsorum minera. Appellatur etiam *Saturnus Philosophorum* à voracitate ipsius, quia destruit, & absomit omnia metalla, sive quod Plumbi naturam sapiat, sive quia multi ex antimonio, Philosophorum lapidem

fieri autumant, & ob easdem rationes dicitur quoque Magnesia Saturni. Vocatur denique *Aries*, quia cum Sol, Arietis signum graditur est lucidior, ita aurum per antimonium repurgatum, splendidissimum nanciscitur colorem.

Arsenicus dicitur *fuligo*, seu *fumus metallorum*.

Alumen dicitur græcè *συνήθειαν*, Arabicè *seeb*, seu *seb*.

Salnitrum vocatur *Cerberus Chymicus*, quia sicut poëtæ de inferorum cerbero trifauce fabulantur, ita spagyrici de salenitro dicunt esse vegetabilium, mineralium, & animalium universale menstruum. Dicitur *sal infernalis*, quia inflammabilis. *Sal ferreus*. *Serpens terrenus*, quia in terra vivit. *Sal sulphureus*. *Sal Anderone*, *Anatron*, *Hermetis*, *Baurach*, *Cabalatar*, & *sal petra*.

Sal Armoniacum aliud in arenis Lybicis concrevit, aliud nostrâ ætate factitium est. Dicitur *sal Solare*, quia dissolvit solem, scilicet aurum, *Aquila celestis*, *sal mercurialis philosophorum*, *sal celestis*, &c.

Sal gemmæ dicitur etiam *fossile*, ex eo quia eruitur in fodinis, gemmeum verò, quia splendet gemmarum ad instar.

Sal anatron dicitur sal ex *Usneâ lapideâ* tractum.

Sal, quod acutiem habet dicitur à Chymicis *Alembroth*.

Viride æs dicitur *Ziniar*, & *Zadir*, quod nomen Veneri competit.

Vitriolum dicitur etiam *Alcorb*, *Azeighi*, *Aregi*.

Vitriolum rubrum dicitur *Azudich*.

Vitriolum liquefactum, aut vi-

triolum significat vitriolum de minerâ tractum, & liquidum, quod coagulari nequit, vel à minera æris tractum. Vitriolum novum, est vitriolum album.

Marchasita dicitur *Zeatuilter*, *Zitter*. Auripigmentum dicitur *Zarnich*, & *Zarnech*.

Sulphur à Paracelso appellatur *resina terra*, sive *pinguedo*, *Alnerick*, *kibritch*, *Rabrie*, *Alphebrock*, *Alchibuth*, *Aneriock*, *Alcebris*, *Akiboth*.

ART. TERTIUS.

Attinentia ad Animalia, & Vegetabilia nomina explicantur.

USnea est muscus, vel plantis arboreis, vel lapidibus, vel ossibus animalium adnascens.

Medulla in plantis, mediam plantarum partem, & molliorem, quæ etiam *cor*, & *matrix* dicitur, significat. In animalibus verò, tum adipem in eorum ossibus contentum, tum molliorem illam partem, quæ & in spinâ, & in cranio reperitur, denotat. In mineralibus quoque medulla est pars illorum molliuscula, quæ etiam in saxis nonnunquam observatur.

Album græcum est *stercus canis*.

Zibettum Occidentale est *stercus hominis*.

Acetum quandoque significat liquorem quemcumque acidum, sed ut plurimum ex vino factum.

Lanugines in plantis sunt filamenta tenella extimæ cuticulæ illarum instar lanæ ibi adnascencia, ut videre est in Verbasco.

Venæ plantarum sunt fibræ, quæ in

in ramulos divisæ in illarum foliis apparent.

Signatura est quid signatum in medicaminibus, sed in plantis præcipuè à similitudine illius vires indicans.

ART. ULTIMUS.

Instrumenta, & Operationes Chymico usui inservientes describuntur.

MUltis utitur instrumentis Chymia ad suas perficiendas operationes, idè prius instrumentorum adducemus suppellectilem, deinde verò operationes ejus explicabimus.

Et instrumenta quidem sunt fornaces, vasa, lutum sapientiæ, & reliqua ad hæc attinens supellex.

Fornaces sunt instrumenta, quibus Chymia operationes peraguntur, à quibus denominantur destillatoria, reverberatoria, & his similes. Pro quibus construendis, habeas lateres, & terram pinguem, sive figulinam, quam misce, & subige cum arenâ, fimo equino, vel simul aliâ substantiâ filamentosâ, & quandoque etiam aquâ falsâ.

Vasa vitrea semper sint pro Chymia operationibus peragendis, quæ si desint, adhibeantur terrea, sed vitreata, ut vocant. Artifices utuntur etiam metallicis quandoque & præcipuè æneis; ab his tamen abstinendum est, quando materiæ, quæ destillantur acres sunt, vel menstrua acida. Nam hæc in metallis suas exerunt actiones, atque illa erodere valent. Poteritis verò illis uti tantum in destillatione vegetabilium,

quæ talem aciditatem non habent.

Vitrea vasa varias habent formas, quatenus variis destinantur usibus, & primò

Circulatorium est vas vitreum, ubi infusus liquor nunc ascendens, nunc descendens circulatur. Hujus generis vasa sunt, sed duo præcipua.

Pellicanus est vas ita nuncupatum à figurâ Pellicani pectus suum rostro fodientis, quod repræsentat, amplo scilicet ventre, in angustius collum vergente, quod retortum, & recurvatum in ventrem immittit, habens propterea in summitate exitum, per quem liquor infundi possit, qui exitus postea infuso liquore, Hermetico, vel alio sigillo clauditur pro liquoris circulandi exigentiâ.

Dicta est alterum vas circulatorium duabus alis, vel utroque brachio lateribus applicato constructum, cujus inferior pars est ad modum cucurbitæ, cui impositus est Alembicus habens in supernâ ejus parte os infundendo liquori necessarium.

Circulatio est liquoris puri per circularem solutionem, & coagulationem, vi caloris exaltatio, ut volatilior, & spirituosior illius pars continuo elevari, & decidere possit, ut purum ab impuro separetur, &c.

Circulus est instrumentum rotundum ex ferro factum ad vitra dividenda idoneum. Perfiringuntur autem hoc instrumento vitra, sic: Circulus candens factus vitro opponitur, & tandiù retinetur, donec vitrum incalescat, & dum adhuc fervet, immittitur aquæ frigida guttula.

Crucibulum est vas fusorium ex terrâ factum, igni, contumatissimo, ut resistat, acutiore basi, & tereti in ampliorem capacitatem, tam triangularē, quàm rotundam desinente, ad fundenda, & liquanda mineralia factum.

Cucurbita est vas plerumque turbinatum in cucurbitæ formam excrecens, hæc aliquando fundo est globoso, aliquando plano.

Cucurbita cæca est, quæ in summitate Hermeticum habet sigillum.

Hermeticè sigillare est sigillo hermetico vas claudere, quod fit cum Vitrum media fusione in vasis summitate unitur, & clauditur, vel in lateribus, si latera sunt aperta, &c. nè quid liquoris expiret.

Potest etiam quandoque sigillum fieri pastâ, luto cum aquâ falsâ subactō, vel calce cum ovi albumine conquassata, &c.

Aves hermeticæ sunt spiritus illi, qui in circulatorio se se contorquentes, & in gyrum commoventes, ascendunt, & descendunt.

Bocia idem significat, ac cucurbita, dicitur etiam Beton, Baton, & Atanor.

Capitellus, sive Pileus, tegmentum est, cui cucurbita supponitur.

Alembicus nunc totum Capitellum, sive pileum significat, nunc capitellum, & cucurbitam simul.

Excipulum, sive receptaculum, sive recipiens est vas illud, quod rostro pilei, seu alembici ad excipiendum liquorem destillantem imponitur.

Vesica est vas metallicum ex cupro, ut plurimum, in formam vesicæ, vel ovi, duorum, vel trium pe-

dum altitudinis.

Retorta sive cornuta est vas globosum, cujus collum paulatim à ventre reflexum recedit, ac sensim in oblongum desinit.

Matracium est vas etiam globosum, cui collum directè à ventre recedit quadripalmarem circiter longitudinem habens.

Destillare est liquorem vi caloris attenuatum in recipiens appositum projicere.

Caput mortuum est id, quod remanet in fundo, vel vesicæ, vel retortæ, &c. post destillationem.

Matula est vas ad instar matulæ, cui alembicus superponitur in materialium destillatione.

Non idem est, ut aliqui confundunt, destillare, & sublimare; nam destillatio propriè est liquorum; Sublimare autem dicimus, cum res volatiles siccas sublimamus.

Filtratio est subductio, sive quædam destillatio per filtrum facta, ut aquositas tenuis, relictis crassioribus partibus, transeat.

Filtrum est colum Chymicum, & fit, vel ex chartâ emporeticâ in conicam figuram convoluta, vel ex panno villosa in faciei formam confuto, quod dicitur Manica Hippocratis. Fit etiam ellychnio in liquorem filtrandum affuso, & ad receptaculum inclinato.

Clarificare de liquoribus dicitur excrementis scatentibus, à quibus indigent purgari.

Præcipitare est ad fundum vasis projicere.

Decantare est liquorem materiæ superimminentem declinare.

Calcinare est in calcem reducere, quod

quod fit, vel incinerando, vel reverberando, vel amalgamando, vel fortibus aquis dissolvendo.

Decrepitare est calcinare cum crepitu.

Detonare est calcinare cum crepitu, & conflagratione.

CrySTALLIZARE est in crySTALLI formam reducere.

Coagulare est inspissare rem mediâ evaporatione, vel aliter.

Cohobare est denuò destillatum liquorem cum facibus destillare.

Dephlegmare est phlegma, sive humidum mediâ evaporatione auferre.

Etrahere est præcipuam partem rei medio menstruo segregare.

Menstruum est id, quod mediâ fermentatione segregat, ac solvit.

Fermentare fit quando res rarefcit, maturatur, & solvitur, ut clariùs alibi.

Fixare est volatile fixum reddere.

Volatilizare est fixum in volatile redigere.

Fundere est ad ignem liquefacere, & propriè ad metalla, & salia pertinet.

Infundere est materiam liquori immergere.

Imprægnare est liquore rem humectare.

Lævigare est rem in subtilissimum pulverem redigere.

Pulvis omnis sive ex calcinatione, sive ex lavigatione paratus dicitur Alkohol.

Purgare est res animales, minerales, & vegetabiles à mistione alienorum, & ad rem non facientium corporum liberare.

Hiscæ utuntur terminis Chymici
D. Car. Musitani Pyrotechnia,

ad sua explicanda opera, aliæ siquæ sunt voces, ex se infra patebunt.

Hinc pro hujus rei coronide advertendum vitrea vasa interdum loricanda esse; Loricæ verò solent esse, vel quinque vel septem, vel plures, pro ut destillanda res exegerit.

Pro his verò conficiendis præcipiunt aliqui argillam figulinam, stercus equinum lotum, & exsiccatum, farinam laterum, & squamam ferri, eaque miscendo, & cum aquâ communi subigendo.

Aliqui recipiunt luti mundati, & exsiccati partes decem, cineris partes duas, fimi equini partes tres, scobis ferri partem unam, pilorum bubulorum, vel jumenti partes duas, miscent cum sanguine ovino, vel bovillo.

Aliquandò loricantur simplici terra figulina cum pilis subacta.

Nos verò prædictâ terrâ figulinâ utimur, ac si quando res destillanda exigit contumacissimum reverberij ignem, nè vitreum vas dehiscat, hoc luto utimur.

℞. Terra figulina partes x. scobis ferri partes ij. cinerum, & salis com. an. partem j. cum pilis ut supra subige pro vasis loricandis.

Adverte tamen, quòd prima lorica debet esse exsiccata, ut melius super illam alia imponi possit, & sic successivè de cæteris.

Solent vitra aliquando rimam aliquam contrahere in actu destillationis, quam consolidare poteritis cum calce vivâ, & oui albumine simul conquassatis, & petia, vel alia vitri parte illincta superimponere.

Interdum membranæ vesicæ etiam
D cum

cum calce vivâ subacta imbutis, vitri rimæ occluduntur; interdum charta coriacea glutine imbuta.

Pro lutando autem Alembici rostro cum excipulo hanc præscribunt massam Chymici.

℞. Cera ℥j. resina, & colophonie an. 3j. liquecant simul omnia in vase fictili, & adde olei olivarum parum, misce & agita baculo ligneo, ut incorporentur, vas postea ab igne remoue, imple aquâ frigidâ, & manibus subige, & cum chartâ emporeticâ applica, vel vesicis bovinis, vel chartâ coriaceâ, & hoc quando spiritus sunt nimis volatiles, nam resinosas materias non pertransunt.

Addunt hoc aliud pro Retortis cum recipiente lutandis in destillatione spirituum fortium, & acrium.

℞. Lutum sapientia cum aqua falsa subactum addito colophonie pulvere, & applica.

Advertendum hinc, nè lutum, quo vasa destillatoria glutinantur, expiret, vel liquorem tingat, inficiatque.

Ut autem vitra Chymico operi inservientia optima seligere possitis, omni diligentia advertite, ut non sint Ætherogenea, sed summâ homogeneitate gaudeant, ætherogenea autem sunt, si lapillos admittos habeant, vel diversi generis vitrum; sint ut plurimum alba, pellucida, & limpida.

Solent etiam, cum opus fuerit, Chymici vitra secare ellychnio sulphureo accenso, bino, vel trino ambitu vitrum circumvolvente, quæ operatio etiam fieri solet circulo candente, ut superius diximus.

Quibus pro rei exigentiâ sufficienter præmissis, quoniam Chymici

aliquibus etiam utuntur veluti hieroglyphicis, ac signaturis ad varias significandas res; ideò sit.

T A B U L A,

In quâ Metallorum, Mineralium, & aliarum rerum Chymicarum notæ signantur.

Non solum peregrinis vicibus, verum etiam notis aliquibus, seu hieroglyphicis ad varias significandas res utuntur Chymici; ideò nè Chymia Tyro hac in re forsan confunderetur, illarum specimen hic adducemus.

NOTÆ METALLORUM, MINERALIUM, ALIARUMQUE RERUM.

Acetum.	✝
Acetum destillatum.	✱
Æs ustum.	♀
Alembicus.	XX
Alumen.	O
Amalgama.	ããã
Antimonium.	♂
Aqua.	▽
Aqua Fortis.	▽
Aqua Regia, Stygia.	▽
Arena.	⋯
Argentum.	☾
Argentum Vivum.	♀
Aries.	V
Arsenicum.	⊙⊙
Auripigmentum.	⊙⊙
Aurum.	⊙
Balneum.	B.
Balneum Mariæ S. Maris.	MB
Balneum Vaporis S. Roris.	VB
Calx.	C.
	Calx



D. CAROLI
MUSITANI
PATRIAS PROFESSORIS,
PYROTECHNICÆ SOPHICÆ
LIBER SECVNDVS.

De Igne, & variis ejus operationibus.

PRINCIPALE in hac arte agens ignis est, non enim est in Chymiâ operatio, quæ ab eo non perficiatur. Ignis enim omnia corpora in sua solvendo principia, tam eorum virtutem pandit, ut *Apostolus Paulus 3. ad Corinthios: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*, quàm etiam multa denuò producere, ac transmutare valet in hoc orbis amphitheatro corpora. Hoc potentissimum agens tantùm operatur in natura prodigia; corpora enim homogenea fixa illuminare, atque ignire valet: homogenea volatilia in vapores, & exhalationes resolvit; ætherogenea in aquam, & ens seminale reducit, atque inter has actiones nova in dies producere valet entia, ut Sal, Vitrum, ac multa medicamina, quæ aliàs produci non poterant. Tota igitur ars Chymica in benè regulando igne cum consistat, ignis ideo naturam perpendamus oportet, ut melius eum regulare, ac in nostros usus dirigere possimus, sit ergo

CAP.

CAPUT I.

Quid sit Ignis.

Ignem tanquam unum ex quatuor, tam Macrocosmi, quam Microcosmi elementis concurrere, tam ad hujus orbis, quam singulorum corporum structuram asserit Sylogizantium vulgus. Neque verum est, quod asserit elementa invicem transmutari, nam

Primò, aer rarefactione non potest transire in ignem, imò nec ullo modo, nam alias minima flammula totum aërem accendere posset, quoniam aer flammæ continuus semper, continuoque & successivè unus post alium incalesceret, attenuaretur, & inflammaretur, quousque Universum in ignem verteretur; Id quod autem quandoque in aëre flammescere videtur, ut patet in aliquibus Comætiis, lampadibus, capreis igneis, & lanceis, metheorisque aliis, non aer est, sed pinguis exhalatio in aëre existens.

Secundò, neque aer condensatus convertitur in aquam, ut videre est in aëre condensato summoperè in Pneumaticâ bombardâ, in cujus tubulo aer semper aer est, quod autem videtur verti in aquam, non aer, sed vapor in aëre existens, qui nihil aliud est quàm minimæ guttulae dispersæ ejusdem aquæ compressione coactæ, quibus cum careat aer, nunquàm aqua creari potest.

Tertiò, neque aqua condensata terra fieri potest, neque terra è converso rarefciendo in aquam verti po-

test; quamvis enim terra videatur quandoque à sole in aquam verti, id succedit tantummodò cum terra aqua imprægnata est, hoc est aquæ guttulas insensibiles continet.

Singulis Elementis singulas primarum qualitatum tribuunt Galenistæ cum eorum Antesignano *Galeno* combinationes, quarum unam in summo, alteram in remisso gradu unam quamque combinationem requirere ajunt. Sic terræ siccitatem in summo, frigiditatem in remisso tribuunt; Aquæ frigiditatem in summo, humiditatem in remisso; aëri humiditatem in summo, calorem in remisso; Igni demùm siccitatem in remisso, caliditatem in summo gradu tribuunt. Has verò qualitatum combinationes, ceu singulorum elementorum constitutivas essentias statuunt. Hinc ex mutuo elementorum confluxu mutuam etiam earundem qualitatum mixturem emergere ajunt, ac facta veluti ex eis simul confluentibus veluti consonantia, inquiunt singulorum ex elementis constitutorum corporum constitui essentiam, quam nihil aliud esse nisi temperamentum statuunt. Hinc secundum temperamenti diversitatem diversas mixtureum formas in naturâ constitui aiunt. Hæc in corporibus non viventibus statuunt, in animalibus verò, & præsertim in homine quatuor elementa sub humorum qua-

ternario ludere aiunt, eò ut quatuor humores asserant esse viventium elementa. Sic bilem igni proportionaliter correspondere, atrabilem terræ, sanguinem aëri, pituitam verò aquæ asleverant.

Has seniles nugas primarum qualitatum præscrutari lubet, an eas natura unquam agnoverit? &

Primò, ignem à calore, & calorem ab igne minimè distinctum agnoscimus, nec moderatus calor ab igne actuali comburente differre credimus, ut fusiùs dicemus.

Secundò, frigiditatem omnem, five frigus non constitui per entitatem aliquam accidentalem frigidam, sed nihil aliud in se esse, nisi lucis, & caloris, five substantiæ calidæ privationem fatemur; nam corpora, quæ lucem à suâ entitate excludunt, excludunt calorem. Sic defectu lucis vitalis cadavera ab actuali frigore occupantur, & in ea terræ plaga ubi sol supra horizontem emergit cum tantâ inclinatione, ut trium horarum spatio commoratus, illumque metitus in occasum vergit, intolerabile frigus experitur: occurrunt quippè radij solares terræ superficiem cum tantâ inclinatione, itaut in eorum reflexione minimum motum cieant in corpuscula in aëre dispersa; etenim quò minor est ad superficiem inclinatio, eò vehementior fit reflexio, & motus corpusculorum, undè calor oritur. Constat siquidem æstate, quò propriùs vèrtici nostro sol accesserit, quia normaliter, & ad rectos incidunt angulos solares radij, eò calor intenditur, lucidiorque dies conspicitur; solares igitur propel-

las radios, caloris lucisque fons prorsus extinguetur. Sol meritò mundi cor apud philosophos appellatur. Quod verò ex tali corpusculorum remissiori, vel vehementiori motu, nè dum calor, verùm & ignis excitetur, vel remittatur, in motu vehementi fermentantium corporum luce meridiana clariùs liquet: ex illâ agitatione, & corporum conflictu semina ignifica suscitantur, undè ignem actualem sæpius elici à nobis fuit observatum, ut post pauca fusiùs dicemus.

Dicunt aliqui, actu frigus agere, & corpora frigefacere, ut contingit in nive respectu vini, vel aquæ, vel similis corporis, quod ab eà frigit: ergò frigus erit revera ens positivum, non autem calidi simplex privatio.

Non inquam ità dicant, quia in similibus actionibus corporum non succedit frigefactio à qualitate positiva, quæ ibi forsan agit frigefaciendo, sed quia aqua, vel vinum, vel simile corpus calidum calorificis æthereis particulis privatur, absorbendo scilicet eas corpus frigidum, & consequenter non est nix quatenus frigida, quæ agit, sed corpus calidum, quod dùm nivem excalescendo progreditur calorificis extraneis particulis, sicuti privatur, ità nivem excalescit, & ipsum frigit, quatenus hujusmodi calorificis partibus privatur, & consequenter semper remanet veram frigiditatem consistere in caloris privatione.

Tertiò, quò ad humiditatem, ejusque naturam, præterquam quòd constat ex *Arist. 2. de generat. & corrupt. text. 54. & 2. de anima tex. 113. humidum*

dum illud esse, quod aqua est, vel habet intra se aquam, quæ est principium omnis humiditatis constitutivum, nam cit. tex. 2. de anima inquit: humidum autem non est sine corpore, neque udum, sed necesse est aquam esse, aut habere aquam, & cit. 2. de gen. tex. 14. hæc habet: Udum quidem est, quod habet alienam humiditatem superficie tenuis; tamen lumine naturæ patet id humidum esse, quod vel aqua est, aut aquam in se recipit.

Quartò demùm siccum, quòd propriè sonat ex succum, continetque negationem dumtaxat humidi opponi ipsi humido, ex eadem Aristot. sententiâ patet cit. locis, & consequenter nihil aliud esse siccitatem, nisi privationem humoris, sive aquæ; illud namque siccum esse lumine naturæ patet, quod minimè aquam secum admiscet.

His de primarum qualitatum natura breviter libatis, poteritis eadem methodo per cæteras, quas secundas appellant qualitates, discurrere sufficientissimè per situm partium substantiæ, sed

Ad ignem noster redeat sermo, quem demonstrabimus tanquàm dignius agens in rerum naturâ ex perfectis ejus operationibus ut infra, & quidem si celebriores Philosophos percenseas, clariùs descriptam ejus naturam reperies, quàm scholastici solent.

Primò, Antesignanus Medicinæ dictator Hippocrates ceu divinum aliquid, atque immortale ignem admiratus est lib. de Carnibus tex. 1. inquit: Et videtur sanè mihi id, quod calidum vocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, si res omnia, tum præsentia, tum futura: hujus

igitur plurima pars, cum turbata essent omnia in supremam circumferentiam secessit. Et videtur mihi ipsum veteres æthera nominasse. Altera pars inferna appellatur, terra, frigidum quid, & siccum, & multis motionibus obnoxium, & in hac sanè multum calidi inest. Tertia pars aëris medium locum occupavit calidum quid, ac humidum existens. Quarta verò pars terra proximum locum capit, humidissimum quid, ac crassissimum. En quomodò calidi actiones, sive ignem in hoc orbe rimatur Hippocrates?

Secundò, Stoici mirabiles inspicientes in rerum naturâ ignis operationes, Dei Optimi Maximi naturam, non nisi per ignem explicari ausi sunt, referente Galen. lib. de hist. philosophicâ ubi sic habet: Stoici Deum esse pronunciant ignem arte præditum, rationeque & viâ ad generationem procedentem, atque omnes rerum omnium rationes continentem, &c. Hunc ignem Zeno æthera esse voluit, quem ut refert Cic. 1. de nat. Deor. Deum dicit esse. Unde cecinit Ovid.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo.

Et Poëta. Iovis omnia plena.

Tertiò, Cleanthes Zenonis auditor, ut narrat Cic. 1. de nat. Deor. Tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturæ menti, atque animo hoc nomen tribuit, tum ultimum, & altissimum, atque undique circumfusum, & extremum omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominatur certissimum Deum judicat.

Meritò divinus Poëta dixit.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.

Mens agitat molem, & magno se corpore miset.

Id Euripides quoque tragico cothurno,

thurno lepidè, atque præclarè expressit:

*Vides sublime fustum immoderatum
æthera,*

*Qui tenero terram circumjectu ample-
ctitur?*

*Hunc summum habeto Divum: Hunc
perhibent Iovem.*

Hanc divinitatem astris tribuit, cum enim ex tali ardore, seu nobilissima, purissimaque ætheris parte progignantur, meritò tota esse ignea, utpotè calida, & pellucida duorum sensuum testimonio confirmari *Cleanthes* putat tactus, & oculorum. In sole presertim, quorum ignium est princeps, omnia sua clarissima luce collustrans, hoc manifestum reddit: Nàm solis calor, & candor illustrior est, quàm ullus ignis, quippè qui immenso mundo tam longè, latèque colluceat, & is ejus tactus est, non ut tepefaciat solùm, sed etiam sæpè comburat, quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. Hunc tamen solis, & reliquorum astrorum ignem non ei similem dixit, quæ ad nostros usus, adhibemus sed qui corporibus animantium continetur; hic etenim vitæ conservator, auctor est, & alimentum, contra verò ille confector, & consumptor omnium, undè cum solaris ignis universæ terræ, omnibusque animalibus salutaris sit, itidemque rerum productor, vita, & conservator (is enim efficit, ut cuncta in fructus germinent, in vitam reviviscant, & adoleta pubescant) dubium non est similem esse eorum ignium, qui in corporibus animantium cohibentur. Hæc adducit ex *Cleanthe cit. Cic.* Nè dum ut ostendat Solem, & reliqua astra

ignem esse, verùm animantia, & præstantiori quolibet alio intelligentia prædita, utpotè simili animantium igne vitæ omnis, intelligentiæque auctore respirantia, & cum eam mundi partem incolant puriorem, æthereamque atque Oceani, terræque respirantis humoribus longo intervallo extenuatis alantur, sit sensu acerrimo, mobilitateque celerrima præcellere, iisque intelligentiam inesse acutiorem. *Etenim* (ut *Cic.* ibidem loquebatur) *licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër sit purus, ac tenuis, quàm illorum, qui utantur crasso calo, atque concreto.*

Sed complures præstantissimi Philosophi, cum ex priscis, tum ex recentioribus solarem ignem, non ut *Cleanthes* putavit similem ei, qui nostro usui, & victui inseruit, solemque perpetuis ardere flammis credere. Hujus placiti fuit *Anaxagoras*, *Democritus*, alique, & ex recentioribus *Keplerus*, *Kircher*, & complures. Profectò ut dicam quod res est, nihil æquiùs ex nostratibus, quàm ignis soli propriùs assimilari videtur. Etenim nè dùm *Eul. f. 43.* *Sol fornax* dicitur *in operibus ardoris*, verùm simile quid in sole per Telescopium nuper Mathematicorum solertia deprehendit, ut in ære, apud fornaces fusorias liquefacto conspicitur; æstuat namque pariter in sole, sicut in ære liquato, inconstans undationum lumen, & utrobique exundans, inæqualisque umbrarum, ac splendoris discurrens motus conspicitur, ut nec veriori similitudine solis splendor, quàm fusoriæ fornacis ære

jama

jàm fuso explicari possit. Prospexit quoque Telescopium in solari disco maculas perpetuâ vertigine circumactas, faculas, fuligines, & vortices, quæ omnia non nisi ignitorum corporum esse negabit nemo: Imò ipsa met rerum omnium magistra experientia quotidie nos edocuit ignem facile cuilibet corpori injici radiis solaribus in lente convexa vitrea, vel parabolicis speculis exceptis; non immeritò igitur solem flammæ assimilavit *Pater Stephanus Natalis* in suo volumine *Sol flamma*.

Attamen propositum non convincere hæc solis cum flamma comparatio videbitur, neque rationi consonum globum ignitum solem esse; quippè flammæ figura in conum se attollit, basis in ellychnio, vertex, sive punctum in ipsâ flammæ summitate residet, solem verò ad sphæræ figuram effectum ex opticis observationibus satis apertè demonstratur: Et si non desint, qui dicant solaris coni basim nostris oculis conspicuam semper esse, nunquàm verticem, ideò sphericum apparere. Præterea sol cum restauratione, & alimento non indigeat (quippe vel consumptum, vel sensibilibus diminutum jàm nunc prospiceremus) neque ignem esse, flammæque figura efformatum, certum erit; Nàm ignis alimento egere nemini dubium fuit, inde quia flamma, ut rectè *Arist.* affirmat, fit ab accensis halitibus incessanti motu, ut fluviorum aquæ, semper sibi denuò succedentibus: nisi nova fuligo deperditæ loco succederet, absumptasque partes continuò restauraret, statim ellychnium lumine destitueretur.

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

Sed hæc nihil nos urgent, nàm ideò flammæ figura in conum assurgit, & nova fuliginis reparatione indiget, quia ab aëris circumfusi gravitate compressa ad superiora enititur; inde fit partes medias celerissimo, & incessanti motu agitata supra alias assurgere, ex quo conus efformatur, undè cum fuligo ex tali successivo motu habeat ubi avolans feratur, ideò semper nova fuligo ad deperditas partes restaurandas requiritur: non secus ac fluviorum aquæ, nisi haberent, ubi ferrentur, persisterent semper eadem absque aquarum successivo adventu sicut stagnorum aquæ. Simili quoque modò in sole discurrendum est, etenim solis particulæ non extra feruntur, cum non sit ubi avolent, ideò neque in coni figuram attolluntur, neque reparationis egent.

Non tamen me latet complures præstantissimos Philosophos putasse omnia astra nutrirî, ut *Plin.* pro certo tenuit sidera humore terreno pasci, & *Stoici* Solem Oceani humoribus, Lunam ex aquis dulcibus ali apud *Senec. 2. q. nat. cap. 1.* affirmant, ex Cælo, & terrâ alimenta omnibus animalibus, omnibus sativis, omnibus stellis dividuntur, quorum sententiam Astronomicorum recentium accurata exploratio stabilire posset. Maculæ solares per tubum modò illuminationes, modò tenebricosæ observatæ, fuligines, faculæ, &c. alimenti defectum, & restaurationem designant non absimili modo, si in fornacem tenebricoso lumine ardentem lignorum, bituminisque copia injiciatur, tunc in majorem flammam, illuminatioremque erumpit,

E

ideo-

ideoque altas stellas Cic. renovatas appellavit. Hanc de siderum nutritione sententiam, ideo ut certam statuiebant, quia ignea existimabant, ut Cic. 2. de nat. Deor. loquitur: Sunt autem stella natura flammea, quod circa terra, maris, aquarum vaporibus aluntur, iis qui à Sole ex agris tepesactis, & ex aquis excitantur, quibus alta, renovataque stella, atque omnis aether refundunt eadem, & rursus trahunt indidem, nihil ut ferè intereat, aut admodum paululum, quod astorum ignis, & aetheris flamma consumit. Indè putabant nonnulli ex hujus humoris defectu mundum quandoque igne absumendum, rursusque ab igne (quem Deum putabant) renovandum, ut ibidem Cic. hisce ait: Ex quo eventurum nostri putant, id de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret cum humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aër, cujus ortus aqua omni exhausta, esse non posset, ita relinqui nihil præter ignem, à quo rursus animante, ac Deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur. Hic ergo Deus, & mundum creat, & conservat; & renovat; En quanti fuit apud Philosophos ignis!

Quartò, Plato, & Platonici omnes eum tanquam mundi hujus, & corporum omnium animam asseruere.

Quintò, Paracelsus lib. 2. Philosophia ad Athenienses tex. 6. ignem considerat non quatenus in combustionem lucet, sed tanquam quid sub combustionem ludens, productivus tam combustionis, quam lucis, quasi spiritus comburens, dum inquit: Ignis, qui urit, elementum ignis non est, ut nos videmus, sed ejus anima nobis inaspectabilis, ignis elementam, & vita est. Jam verò ele-

mentum ignis non minùs in viridi ligno inesse potest, quàm in igne. Ipsa tamen vita non aque adest, ac in igne. Inter animam ergo, & vitam discrimen est. Ignis enim si vivit, urit. Si verò in anima est, hoc est, in suo elemento, ustione vacat. Hæc Paracelsus, quæ obscura quoquo modo videntur, sed si manuali operatione explanentur, liquent. Nam ut inferius explanabimus, ignis non tantum ludit, ut conspicitur in combustionibus culinariis, sed à philosophis ignis quoque actiones sub fermentorum, & menstruorum operationibus, celeriores, atque potentiores videntur ijs, quæ ab igne actuali fiunt. Sic Chrysulcæ, Gehennæ; Stygiæ, & cæteræ aquæ fortes, metalla solvunt, quæ aliàs igne actuali ita solvi nequeunt. Sic ignis, (intellige tam de actuali, quàm potentiali, sive menstruali, quàm etiam de fermentali) dum vivit sub larva scilicet spirituum, urit; sin verò in anima est, hoc est in elemento suo, seu corpora componit, ustione vacat, quia in centro aquæ conclusus non urit, sed corporum proprias exerit actiones.

Sextò Joannes Baptista Van-Helmont. tract. cui tit. complex. atque mist. elemental. signum. §. 2. ejus inspiciens operationes in ordine ad Pyrotechniam illum appellavit, mortem inquit: Ignem negavi elementum, & substantiam: sed mortem in manu artificis, ad grandes usus datam.


Hinc quoque patet Paracelsum ignem appellare illud idem, quod sulphur appellat, cui specifiques corporum proprietates, & ones, motus, muniaque cum omnibus Paracelsitis tribuit.

Ex quibus definiri potest ignis, quòd sit lumen accensum, sive excitatum, atque è corporibus extrinsecatum ab alio igne, sive ex radiorum solarium unione in puncto, ubi vel sustentatur ab ipso Sole absque materia accensibili, vel in materia accensibili conceptum.

Demonstrari id potest ex eo quia producit ignis in rerum naturâ; vel enim dum excutitur à lapide cum chalybe percussa, vel ex radiorum solarium cono, vel ab alio igne: sed in corporibus universi, ut probavimus cum de principiis, nullæ producuntur operationes nisi dependenter ex eorum intrinseco lumine, sive ente seminale: ergò &c. minor demonstratur, quia à corporibus simplicibus, ideò concipi non potest ignis, ut ab aquâ, aëre, & terrâ virgine, quia carent intrinseco sulphure, sive ente seminale: ergò ideò concipitur in productis seminalibus, quia consimile lumen habent in eorum penetralibus inclusum, quod dum accenditur, sive ab alio igne, sive à radiorum solarium unione in puncto, vel aliter in materia superficie evocatur, urit, solvit, aliasque ignis perficit operationes. Nam ex omnibus corporibus præter aquam, aërem, & terram virginem per Chymicam artem elicitur quandoque spiritus analogicus perficere valens operationes, quas actualis ignis producere solet. Sic aquæ chrysulcæ, stygiæ, regiæ, & reliquæ, quæ ex corporibus seminalibus educuntur, metalla, & lapides solvunt, non secus ac actualis ignis; dicendum igitur ignem non produci, nisi ex excitato, sive accenso lumine cor-

porum formalium constitutivo.

Ex quibus habes primò non aliter differre ignem, qui sub flammæ larvâ ludit, ab eo qui sub mediocri calore, ac unus solaris radius v. g. à pluribus in puncto unitis, à quibus ignis actualis sustentatur, & in corporibus flammiferis ignis excitatur. Ad hoc probandum ponamus experimentum. Accipiat speculum concavum, ad solis radios exponatur, tunc solares radij A. post speculum convergentes in B. puncto omnes coibunt, conicam figuram efformantes; punctum verò concursus focus appellatur, quia inibi ignis concipitur. Post verò talem concursum divergunt in C. & calorem tantum dabunt, quorum divergentia, rarefactio vulgò appellari potest, ut in subjecto schemate pater.



Ex hac ergò mechanicâ habes primò, quòd calor in cono, sive in puncto connexus est ignis, dum est rarefactus, est calor. In densitate ludit ignis, in raritate verò calor.

Secundò, in extremo Judicio, cum orbis Creator mundi machinam per ignem dissolvit, nullo alio igne id efficiet, nisi solaribus radiis in cono unitis, è corporibus universi ignem extrinsecabit.

Tertiò, in Babilonis fornace tres hæbreorum pueros, Sidrach, Misach, & Abdenago ignis non combussit, & capillus capitis eorum non fuit adustus, & sarabala eorum non fuere

immutata, & odor ignis non transivit per eos, ut habetur in prophetiâ *Danielis cap. 3.* quia Cunctipotens Deus miraculum patravit, non subtrahendo concursum, ut blaterant scholæ, sed fornacis ignem rarefaciendo; nam ut habetur eodem *cap. 3.* *Angelus autem Domini descendit cum Azariâ, & sociis ejus in fornacem: & excussit flammam ignis, & fecit medium fornacis quasi ventum roris stantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Præterquam quod Pia Mater Ecclesia canit: *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammam ignis: concede propitius, &c.*

Quartò sulphuris flamma magis urit, quàm aquæ ardentis flamma; quia sulphur est concretum, & condensatum corpus ex lumine, & calore, & idem est sulphur, ac ignis: at non ita aqua ardens, quia calorem, & lumen habet rarum, & volatile, & tenue sulphur; ideoque illud magis, quàm hæc urit. Ex hoc collige ignes fatui, quorum materia est quædam viscositas, & pinguedo sulphurea, quæ à solis cælestis calore attenuata, & sursum elevata, facili negotio motu suo excandescit, & inflammatur; tenuitate, quâ pol-
lent hi ignes, res circa quas exardescere videntur, non comburunt. Ità sunt fatui illi ignes, qui navium malo, antennis & velis insidere videntur ex æstuante pelago. Quando geminæ sunt flammæ gentilitiis nominibus Castor, & Pollux fratres vocatæ sunt: quando una tantum Helena utriusque soror. Cum duæ apparent, sunt fausti ominis, & infallibilis tranquillitatis apud Nauleros prognos; contra quando

una navis malo, vel antennis insidet haud boni ominis. Hi ignes, & similes hujusmodi, qui ex terrâ exoriuntur, semper æstatis tempore, & nocte serenâ; fatui dicuntur, quod non urant, propter materiæ subtilitatem, & raritatem, sed tantum splendeant. Ex eadem materia subtili, rara, & tenui exoritur ignis lambens valdè familiaris, & fausti ominis esse creditur, qui interdum hominum, aliorumve animalium capitis adhærescit. *Plin. lib. 7. cap. 107.* refert, supra caput Servii Tullij in pueritio hunc exarsisse ignem, Regiæ dignitatis nuncium. *Ex Virg. 2. Æn.* In Ascanio Æneæ filio eadem flamma, seu lambeus ignis regiam dignitatem præmonstravit.

Quintò, ignis non minus sub flammifera luce corporum accensorum, quàm etiam sub spirituum larvâ ludit, qui etsi non accensi, sed media destillatione è corporibus educti, potentissimè tamen urunt, undè Hermetici inquiunt: *Vulgus cremat per ignem, non per aquam.* Prædicti spiritus conspicuum non habent ignem, estò eisdem pariant effectus, & interdum validiores, ac ignis conspicuus intensus, hoc quia in humido stabulant, ut experimur in aquâ, & oleo ferventi; non conspicitur autem in aquâ, vel oleo ferventi ignis, quia ob illorum humidum sese in flammam explicare nequit, neque illorum superficies solida est, ut in ipsis sic inhæreat, ut lumen reflectere, & conspici valeat.

Ignis non est substantia, neque accidens; non est substantia corporea, quia ferrum ignitum porous non est, ut carbo, & tamen

potentiùs urit, & consequenter magis de igne participat, & cum non dentur corporum penetrationes, necesse est ignem corporis naturam non participare; nam in poro ferri minori majoris copia ignis inest, quàm in poro carbonis majori, si ex effectibus causas venari licet; Neque accidens, quia accidens, non potest esse inhæſionis alterius accidentis subjectum, ignis verò lumen, & alia quàm plurima accidentia habet: Ignis ergò est creatura neutro plusquam accidens, & minus quàm substantia à Domino in hominum usus destinata.

Proprietates ignis sunt hæ, prima, cuncta penetrat corpora, & quæ penetrationis incapacia sunt, saltem illuminare nititur, ut aurum &c.

Secunda, ignis sine aëre non vivit, sed suffocatus à dententa fuligine perit. Si ultra mensuram aër flammam fugit, hac sua fuga pyramidalem figuram facit; si verò aër à fugâ detineatur, coarctatur, atque ignem extinguit, qui tunc perit, non alimenti denegati defectu, sed loci nequeuntis fuliginem detinere. Aqua ignem extinguit, non per contrarietatem, sed poros occludendo, & citiùs aqua fervens, quàm frigida, quia citiùs penetrat. Extinguitur etiam fuliginis constrictione.

Tertia, novas creaturas destillatione producit ignis; nam volatila per ipsum fixantur, & fixa volatilizantur, & tria principia Chymica non separantur, sed de novo produciuntur.

Quarta, igne fumus in Gas sylvestre, seu incoërcibile convertitur, ut in pyrio patet pulvere.

Quinta, quæ igne caleſcunt, ut aqua, aër, &c. non per contrarietatem caleſcunt, sed per Relollæi alieni generationem, quatenus agit, quod ipsi agere iussum est. Relollæum, hoc est alienum, est afficiens non produciens ex fermentis, & seminibus rerum v. g. calor in aquâ est Relollæum transiens, quia violenter introductum; ideò namque cessante igne; à quo est productus, sua sponte, statim minuitur, cessatque non ampliùs fatus. Ignis per contrarietatem non agit, quia contraria rerum natura nunquam agnovit; tum quia folium frigidissimum aër ignem magis intendit, & ignis fortius urit sub flatu, & frigore Boreæ, quàm Austri: igitur non per contrarietatem, quia frigiditate remitteretur.

CAP. II.

Quotuplex sit Ignis.

NON alium ignem, præter Culinarium, qui apud nos accenditur, & extinguitur, rude cognoscit vulgus; Præter hunc vulgares Philosophi vanis analogiis ducti, ignem prout elementum in propriâ sede, ac debitâ regione proximè sub Cœlo, supra aërem chimaricè alium agnoscunt; Nos verò in Chymia triplicem cognoscimus ignem, quia sub triplici formâ ludit, & corporum destructiones, resolutiones, & immutationes perficit. Nul- lum inter hos tres ignes substantiale discrimen agnoscimus, nisi accidentale, & penes operandi modum.

Dicitur n. unus actualis, alter fermentalis, alius verò potentialis, seu menstrualis, de quibus sigillatim nunc agendum est, unde sit

ART. PRIMUS.

De igne actuali, & ejus in Chymia operatioibus.

Quid actualis sit ignis, jam satis dictum est, unum tantum dicendum restat, actualem ignem, vel ratione corporis, circa quod agit, vel ratione loci, vel modi, habere intensiones, vel remissiones, unde varia graduum emergunt discrimina.

Joannes Baptista Van-Helmont. in rerum naturâ ignis gradus considerans, quindecim constituit, quos ita distinguit titulo, calor efficienter non digerit, sed tantum excitativè §. 35. p. m. 127. inquit: Ego verò ad clariorem doctrinam in Chymicis, gradus distinguo, ut primus sit, ubi summa frigiditas est remissior. Etenim qui Chymiam, naturâ pedissequam, & sentiam emulatricem fingo, atque subinde magistrâ: totam naturam speculationi Chymie subdo. Secundus ergo gradus in natura sit calor, qualis est aqua non dum glaciata. Tertius ubi remissè friget, prout est aqua putida. Alioqui calor absolutus ad tactum nostrum (qui tepidus est) fallitur, frigereque putatur, quidquid se minus calet. Et cum plus minusve tactus calet, inconstans facit indicium caloris. Quartus demum gradus est teporis leviusculi. Quintus jam tepet. Sextus est noster. Septimus jam febricitat. Octavus Solis majalis. Nonus destillatorius, & qui jam tactum superat. Decimus destillat cum ebullitione, Unde-

cinus sublimat sulphur, & spiritus siccos. Duodecimus liquefacit, & pyritem sublimat. Decimustertius est in subsusca ignitione. Decimusquartus est ignitio candens. Decimusquintus tandem est folium, & reverberij ultimatus vigor.

Hos gradus in naturæ corporibus prout diversos producant effectus Helmontius consideravit, non ut Peripatetici, qui octo in observabiles, & imaginarios, aut Galenistæ quatuor Chymericos sibi persuadent, sed ferè innumerabiles agnoscimus. Calor, & ignis substantialiter non differunt, sed tantum accidentaliter, ut diximus, igitur unicus in universi naturâ sub ejusdem suæ essentia unitate conspicitur; penes gradus olummodò differt, quia ex sui primæva proprietate calefacere, sive internum è corporibus spiritum extricare habet, ex cuius motu ceteri in naturâ succedunt effectus, ut sunt maturandi, rarefaciendi, fermentandi, exhalandi, liquandi, &c.

Actualem ignem quatuor in præcipuos gradus genericos distinguimus, prout ad nostrum usum quadrupliciter administramus.

Primus gradus est mitissimus teporis adinstar, illiusque B. mitis, vel fimi appellatur. Tactus organo exploratur gradus hic tali modo: Digitus in B. immergitur, neque excedentem caloris sensationem digitus sentit. Hujusmodi est ignis vaporosus Philosophicus, qui incubatu gallinæ matris ex ovis pullos excludentis circumscribi potest. Sicut cujusmodi est omnis calor rectè dispositus, sive temperatus. Ægyptij hoc caloris gradu mediis fornacibus ex ovis pullos excludunt.

Tri-

Triplici modo hunc gradum, vel Balneo Maris, sive Mariæ, vel Balneo roris, sive vaporis, vel medio aliquo non humido, sed sicco, ut Tigillo, &c. supra moderatam flammam posito, administramus. In B. M. ipsamet aqua Chymico vasi immediatè dat calorem. In Balneo roris non ipsamet aqua immediatè calorem dat, sed vapores ab ipsâ aquâ calente erumpentes, qui gradus dicitur calidus, & humidus. In alio verò, ignis à tigillo, catino, &c. vel alio medio exhalationes rerefactæ dant calorem, qui gradus dicitur calidus, & siccus.

Secundus gradus est cinerum, quia fit à calescentibus cineribus à mediocri igne accenso sub tigillo, in quo sunt cineres. Hic gradus est primo intensior, & exploratur, quia tactum evidenter ferit, attamen læsionem digito non affert.

Tertius gradus est arenæ, vel scobis ferri ferventis, qui ab arenâ, seu scobe ferri in tigillo supra ignem posita, fit. Hic gradus non solum tactum evidentiùs ferit, sed etiam lædit.

Quartus denique gradus, qui etiam summus est, ac nudus, vel apertus, quia viva flamma lignorum, vel congestarum prunarum, foliis vehementer inflatis procuratur, & nullo medio operi adhibetur. Hic gradus intenditur ad reverberij potentissimum ignem usque, qui ratione loci in reverberij furno administratur.

Aliqui secundum cum tertio confundunt, & sic tantum tres ignis gradus assignant; sed perperam, nam diversimode arena, sive scobs ferrea, diversimode vero eius ignem

concipiunt, hæc enim minùs densa est.

Adverte tamen unumquodque horum graduum suos habere gradus juxta majorem, vel minorem intensiorem caloris, in latitudine illius gradus sub quo continentur.

Primus gradus primi tepidissimus est, & magis ad frigiditatem, quàm ad calorem accedit. Secundus primi est tepidus, & æquè de frigiditate, & calore participat. Tertius primi, magis participat de calore, quàm de frigiditate; tamen nunquàm tantum calorem habet, ut latitudinem primi gradus excedat. Quartus primi, ità de calore participat, ut omnem frigiditatem excludat.

Primus gradus secundi leniter tactum urit. Secundus secundi fortiter. Tertius secundi fortius. Quartus secundi fortissimè, nec tamen tactum lædit.

Primus gradus tertii non admodum tangentem lædit. Secundus tertii moderatè lædit. Tertius tertij supra modérationem lædit, non ità tamen, ut digitum destruat. Quartus quarti taliter lædit, ut tactus destructionem incipiat machinari.

Primus gradus quarti denique organum tactus destruere incipit. Secundus quarti totalem destructionem efficit. Tertius quarti intensius, & celerius. Quartus quarti intensissimè, & celerrimè id exequitur. Primus carbonibus excitatur, secundus carbonibus, & flammis, tertius augentur flammæ, quartus magis, maximèque intenduntur, ut in reverberij furno circumvolvuntur, diciturque ignis Rotæ.

Notandum, quòd licet Balnei calore designetur primus ignis gradus, tamen à Balneo in operatione omnes ignis gradus haberi possunt, adaucto scilicet igne, & primus gradus erit, cum aqua calefcere inceperit. Secundus designabitur ab aquæ calore magis adaucto, & acriter se percipi faciente. Tertius habetur cum aqua ità calida fuerit, ut ferè urat. Quartus tamen ab aquâ haberi non potest, quia in quarto ignis debet esse intensissimus, ut in igne nudo, qui gradus in reverberij furno tantum haberi potest. Sic proportionaliter in arenâ, & ferri scobe idem servari poterit ordo, ac in Balneo diximus. In igne verò nudo, sive aperto omnes hujusmodi gradus administrare poterimus secundum intensiorem, aut ignis approximationem ad opus Chymicum. Sic candelæ flamma primus gradus attingi potest. Secundus carbonibus remissè accensis. Tertius ex eisdem adauctis. Quartus verò ex lignis, &c.

Alij alios ignis gradus concinnant, sed ut ad hos reducibiles recensere omittimus.

Alij verò ignem distinguunt in mediatum, & in immediatum, humidum, & siccum, sed hi sunt modi, quibus ignis modificatur, non verò propter hos diversi gradus ab assignatis assignantur, ut v. g. ignis suppressionis, qui fit carbonibus vivis super arenam, retortam tegentem, potest fieri accensis.

ART. SECUNDUS.

De Igne Potentiali, sive de Menstruo.

Quem Galenistæ calorem virtualem, sive potentialem corporum vocitant, hunc Chymici Vulcani beneficio è corporibus extractum, atque eductum, menstrua, sive potentialem ignem appellant. Hic enim ignis non aliter ac actualis corpora comminuit, solvit, fermentat; undè excellentiori vi quandoque vulgari igne, ignis iste menstrualis pollet, dum in opere Chymico excellentiores perficit operationes.

Quæ menstrua appellant Chymici, non sunt illa excrementa sanguinea, quæ singulis quoque mensibus per uterum mulieribus, quæ ejus ætatis sunt, ut possint concipere, accidere solent, ut quidam Medicus Galenista Neapolitanus *Sennerti* Chymiam perlegens, putabat: Sed pro menstrualis spiritus aliquos, aliasque solventes aquas intelligunt; quæ, quia ut volunt, non nisi mensis spatium suas perficere, dicunt, solutiones, quamvis non semper, idèò menstrua appellant. Mensis autem Chymicus, sive Philosophicus, ut aiunt, quadraginta dierum est.

Definiri igitur potest juxta nostra principia ignis hic potentialis, quòd sit lumen, sive ens seminale productum seminalium, quod artis auxilio ab aquæ copia liberatum, adhuc sub superficie alicujus particulæ, sive materiæ clauditur. Est tamen adeò superficiem proximum, ut statim aliquod productum seminale tangit,
ex-

extemplo à contactu suam vim, atque energiam in actum deducat, qui actus eò efficacior, & vehementior erit, quò corpus, quod illi approximatur, est sulphure, sive spiritu seminali affluentius, & abundantius in superficie sui.

Corporum comminutionem à menstruis pendere oculatiores Philosophi intuentes, ab eà desumpta analogiâ, non absimili modo in animalium ventriculis coctiones fieri asservere; Nàm intuentes forsan durissima ossa è canum ventriculis comminui, ferrum à struthio Camelo, vitrum, & lapides ab avibus, atque hæc in eorum alimentum cedere, quæ corpora, & si potentissimo actuali igni exponantur, vix immutari intuebantur: hinc consimilem succum, (quem acidum digestivum vocant) in animalium ventriculis coctionis effectivum asseruere.

Menstrua alia actualia, alia potentialia.

Actualia dicuntur illa, quæ actualem solvendi, & penetrandi vim habent, cujusmodi sunt aquæ ardentes, fortes, sulphuræ, acutæ, stygiæ, Regiæ, spiritus omnium salium, & eorum siccæ sublimationes.

Potentialia verò sunt illa, quæ solvendi vim non statim ac corporibus approximantur, illa solvunt, sed vim solvendi, & potentiam habent, quæ ut solvant, indigent adiutorio, hujusmodi sunt sulphur minerale, sal petræ, & reliqua salia, vel similia, quæ dum corporibus metallicis, vel lapideis solvendis applicantur, illis commista, in illa non agunt, nisi externi ignis beneficio, qui spiritus solventes à crassio-

ribus materiæ partibus, à quibus antea ligabantur, liberans, atque eorum vim excitans, energiam solvendi in actum deducit, ut metalla, & lapides solvant, quæ menstrua sicca etiam appellari solent.

Item menstrua actualia triplicia sunt, vel enim sunt aquosa, & insipida, ut aquæ, sive simplices, sive destillatæ, vel sulphurea, sive oleosa, ut spiritus vini, terebinthinæ, &c. vel salina, sive acuta, & hæc vel sunt vehementer corrosiva, ut spiritus nitri, salis, vitrioli, aquæ fortes, &c. vel minus corrosiva, ut acetum destillatum, limonum, & berberum succus, & similia.

Menstrua Chymica quandoque non sunt simplicia instrumenta separandi, sed aliquando in ipsummet, quod perficiunt opus, transeunt, dum partes acutæ, & volatiles solvendo, immutantur, & fixantur supra corpus in quod agunt, patet in magisteriis, aliisque Chymicis solutionibus, ac præsertim in martis vitriolo, nàm vitrioli spiritus dum martem solvit, dulcificatur, & transit in aliud, quod martis vitriolum dicitur. Eadem ratione acetum destillatum, limonum succus, & similia dum corallia solvunt, dulcescunt, ac cum coralliorum magisterio, vel sale perseverant.

Hinc ex hac doctrinâ, quantum luminis hæc ars medicinæ professoribus affert, facile cognoscere poteritis; nàm inde, quomodo omnes morbi, qui ex succorum corruptela suboriuntur à salibus alkalis, vel volatilibus curentur, quidvè coralliorum, unionum, & similibus pollines perficere valent, facile

negotio colligere poteritis : nam hac omnia omnes acores præcipitant, corrigunt, destruunt; aciditas enim ceu corruptionum omnium, & fermentorum matrix est, ceu & morborum causa, quæ dum per similia retunditur, mille morborum felices succedunt sanationes. Hac ratione martis vitriolum, absynthij sal, & similibus obstructions solvunt, & volatilia cephalicarum herbarum salia sudores promovent in febribus, coctionesque adjuvant.

Pro completâ menstruorum naturâ enucleanda, per quid agant in corporibus, & solvant, videndum est, cum non desint hujus sæculi celeberrimi Viri, qui *Aristoteles*, & *Galenus* abjurata fide in *Epicureas*, *Democrateasque* atomos inciderint, menstruorum actiones corporum particulis, seu corpusculis angularibus, triangularibus, rotundis, turbinatis, &c. tribuunt, quæ ratione similitudinis cum corporum solvendorum partibus, illa solvere aiunt. Quorum sententiam non ut à veritate alienam omittimus, sed ut juxta Chymicorum positiones rem explicemus.

Ideo secundum à nobis jam posita principia pro hujus rei intelligentiâ dicimus : Omnia corpora ex duobus principiis constare, in esse, & operari, *Materia* scilicet, sive *Aqua*, & *Efficienti*, sive *Ente Seminali Interno*, omnesque corporum actiones, proprietates, munia, ac dotes ex dicto ente seminali, pendere, sic v. g. triticum præter ejus materiam ens seminale internum habet, per quod vegetat, germinat, crescit, aliudque sibi simile producere valet frumentum. Hoc igitur intrinsecum cor-

porum semen, si per fermentalem motum è materiæ centro in superficiem evocatur, non amplius specificas corporum perficit operationes, sed alias induit vires.

Iste spiritus, ceu naturæ arario, in terræ thecis, ac præcipuè sub salis forma quadam substantiâ latet. Unde non nisi ex salium destillatione talis in magnâ copiâ elicitur spiritus. Hinc colliges

Primò, cur ex aquâ talis spiritus elici minimè possit; nam cum aqua summâ homogeneitate gaudeat, ac quandiu aqua est, omnem excludit seminum labem : hinc neque à naturâ, neque ab arte in alia principia resolubilis est; etenim si igne torqueatur, tota quanta est, in vapores evolat, qui dum coagulantur in eandem numero aquam redeunt : ea enim tantum est seminum susceptiva, nec quidquam præter salinas mumias resolvere valet, neque in corporibus ex se ipsa agere valet.

Secundò, omnem menstruorum activitatem tantum pendere ex ente seminali, sive spiritu in materiæ superficie ludente, & quò major in materia erit spirituum copia, eò erit major, & celerior menstrui activitas.

Tertiò, sulphur, nitrum, alumen, & similia, dum solvendis metallis, vel lapidibus tanquam menstrua applicantur, cur igne indigeant; nam internus eorum spiritus, qui in materiæ penetralibus torpidus manebat, ab igne extrinseco dum excitatur, ac in materiæ superficiem deducitur, in solvendis corporibus agit.

Quartò demum, dari posse menstruum

strum aliquod universale, seu liquorem immortalem, qui absque reactione, & de pauperatione sui cuncta naturæ corpora solvere valet, quod *Alkahest* philosophi appellant, de quo dicunt: *Vulgus cremat per ignem, nos per aquam.* Quod menstruum requirere inquiunt quindecim spirituosæ substantiæ partes collectas in unicâ materiæ parte; nam sicut spiritus vini v. g. pro ejus decima sexta parte est spiritus æthereus, aliæ verò quindecim partes sunt aqua pura: Ità, si contrà habeatur liquor, qui pro decima sexta parte erit totus spirituosus, & pro una parte aqueus, erit *Alkahest*.

ART. TERTIUS.

De Igne Fermentali.

DUm spiritus sub fermentali motu movetur, ac ludit, corpora etiam alterare, ac transmutare valet. Sic omnium corporum, tam alterativæ, quam generativæ vicissitudines hoc in orbe à fermento exoriuntur; nam dum corporum lumen, intrinsecus Archetypus, atque formator diversimodè movetur, movet quoque & materiam, undè omnis corporum mutatio pendet. Hinc conjecturalis, ac phantasticus *materia* peripateticorum *appetitus* diversas ad formas, nisi ad hunc nostrum reducatursensum, nihil reale in naturâ ponit.

Talis in naturâ motus, vel à solari, vel consimili calore, seu spiritu excitatur, qui in productorum seminalium substantia conceptus cum centrali semine, siye spiritu ex

mutuâ consertione ambo ad motum excitantur. Est igitur motus fermentalis, caloris extranei, quatenus foventis, atque excitantis spiritum intrinsecum corporum, radicaliter verò est latentis in concreto spiritus. Sic in naturâ germinant semina, dum Sol à Tropico Capricorni ad Cancrum accedit, quia à solaribus radiis, præsertim in Vere, spiritus seminalis corporum aliàs torpescens ad motum excitatur, ac juxta destinatas seminum Ideas operatur. Sic quoque pulli exclusio ex ovo excitativè à gallinæ fotu, sicut & ab omni temperato calore habetur, essentialiter ab intrinseco spiritu ovi; nam ibi calor extrinsecus fovens non est, qui pullum ex albumine efformat, sed spiritus, qui in ejus albumine torpescerat, & à calore extraneo, dum excitatur, pulli generationem molitur.

Demonstrari id ulteriùs potest, quia simplex aqua, quæ utpotè simplex, & à nulla seminum labe pul-luta, fermentationis est expers, licèt ab extrinseco calore foveatur, nam spiritu seminali caret, in quo motus fermentalis consistit.

Sic intelliges, quomodò pasta non fermentata, ab ea in quâ excitatum est fermentum, ad fermentum provocatur, quia extrapositioni spiritus vis, & motus, & aciditas fermentatæ jam massæ, superficiem non fermentatæ dum attingit, illam rumpit, atque aperit odore tenuis, latentemque in non fermentata massa spiritum ad motum excitat, qui ad materiæ superficiem ascendens acorem producit

Lumine naturæ sic fermenti natura

explicata, illius utilitatem, & necessitatem in hac arte intelliges; nam cum omnis vis corporum medicamentosa in hoc spiritu lateat, quam non reddit, nisi prius fermentali motu à centro ad extimas aquæ partes fuerit delatus, ideò hæc ars fermento utitur tanquàm id, quod spiritum concretorum ad extimas partes deducit, qui faciliè deinde per destillationem habetur.

Pro cuius rei clariori demonstratione veniat in exemplum mustum recenter ab uvis expressum, hoc pro una parte dolio adaptetur, ut per fermenti motum; vinum fiat; pro altera verò parte vitreis vasis destilletur, hæc in destillatione aquosum liquorem inspidum reddet, vix à simplici elementari aquâ distinguishibilem, usque dum mustum in liquidæ picis consistentiam exsicceatur, ac tunc oleum subcitrinum eructabit, quod præcedenti liquori supernabit: reliquum deinde carbonizabitur, quemcumque Vulcani torturam spernens, nisi aperto conflagetur æthere. Si verò alteram musti partem, quæ per fermenti motum in acidulum vinum degeneravit, temporis intervallo destillabis, vix perceptibili calore si urgeatur, vinum purissimum dabit spiritum in tenuissimum vaporem, qui in refrigerii loco in crySTALLINUM liquorem coagulatur oleosum, Diaphanum, acutum, omninò cremabilem, integram vini essentiam secum ferens; Ipso enim abstracto spiritu, quod remanet, vinum non est, sed phlegma ignavum, quod si igne sollicitabis, aquosum eructabit liquorem usque in sui omnimodam exsic-

cationem, quæ vix partem sæcum musti respectivè carbonizatam præstabit proprio gravidam sale. Denique si aliquam dicti vini partem ulterius fermentare permisisses, & in acetum transmutaretur, illudque destillasses, reddidisset acetosos spiritus, primò debiles, atque gradatim acutiores, ac ultimos acutissimos, paucissimis tamen subsidentibus scæcibus omni sale carentibus.

Videte igitur in eodem uvarum succo diversas fermentorum operationes, quarum omnium scopus est, ut vegetabilis spiritus in succi penetralibus degens, semper magis, atque magis in illius se efferat superficiem. Hinc est, quod destillatum mustum nullum eructat spiritum, sed puram aquam; quia spiritus ex defectu motus fermentalis ab ambagibus sui concreti se non extricaverat, ac propterea calor prius simplicem evaporavit aquam, quæ in superficie ludebat, qua consumpta, spiritus in carbonem se recepit, ut ignis violentiam sperneret.

Hinc deridendi sunt illi, qui ex musto in doliis fermentescente, adaptatis pileis doliorum foraminibus, vini spiritum cremabilem elici asseverant; nam mustum in doliis fermentescens nil aliud, præter incoërcibile Gas, nisi aquam simplicem eructare experientia, præter rationem, constat.

Vinum verò, in quo fermentalis motus præcessit, spiritum ipsum in superficie habet (quod ex acidulo vini sapore, & musti dulcedine evidenter dignoscitur,) & statim primo ignis vigore elevatur; reliqui verò

verò spiritus, qui fortè non ascenderunt postquam aquoso phlegmate ab igne exonerati fuere, adhuc in fæces fixantur, quæ ideò sale sunt gravidæ: Quartam tamen partem fæcum multū vix æquare videbis. Sed ab aceto in quo duplicis fermenti vis omnes spiritus extrinsecavit (quod ex illius acutissimo acido gustatu dignoscitur) vis ignis omnem spiritum in formā volatili sublinat, itā ut nullæ fæces, nullumque sal remaneat, præterquam tincturæ, stillatusque spiritus à primo ad ultimum, ideò semper acutior percipitur.

Quā ex mæchanicā rectè percipere poteritis, quorsum fermenti vis procedit; ut corporum naturalium mille perficiat metamorphoses, tam in hac arte, quàm in naturā. Quod namque fixum erat, omnemque ignis spernens activitatem, fermentali virtute volatilizatur, ac illud idem quod sal fixum erat per fermentum in volatiles salinas abit in auras.

Natura fermento utitur ad corporum mutationes peragendas. Sic herba, ligna, aliaque similia sub terrā fracescunt, dum fermentum arripiunt, ac in hoc aliquid in novæ herbæ, vel arboris alimentum cedit, mutantur. Sic quoque vitrum, lapides, & similia, quæ igne actuali contumacissimo resistunt sub terrā fracescentes, transmutantur.

Recentiores naturalis Philosophiæ alumni duplicia in rerum natura fermenta assignant. Primum in se continet auram fluxibilem, seu spiritum seminalem (quem *Paracelsus*, & *Helmontius* *Archeum* appellant) qui

suo fluxu in animam viventem aspirat.

Secundum verò continet in se motus initium, generationis rei in rem possidet, quod licet tanquàm sui initium non habeat auram seminalem, quæ rerum agendarum complectatur scopos, odore tamen, vel aura ab aliquo vivente participata, quandoque in animam viventem aspirat. Primi generis fermentum habent semina omnia, tam animalium, quàm vegetabilium, quem spiritum prolis similis generandi productivum habent, ex cuius vi, atque energia animal, vel vegetabile producere habent. Secundi verò generis sunt putrefactiones omnes, tam succorum è vegetabilibus quàm animalibus expressorum, vel ipsorum vegetabilium, vel animalium, ex quibus vermes, ac animalia alia producuntur.

Has corporum scænas in naturæ theatro fermenti energia prodeuntes Chymia inspicit, hinc, naturæ pedissequa, ut corpora naturalia transmutare, & ipsa possit, etiam quandoque fermentationis ope uti, quæ fermentationis doctrina instructa hujus sæculi præstantissima ingenia, coctiones omnes, quarum beneficio in nostro corpore eduliorum transmutationes celebrantur, à fermento fieri asseruere.

CAP. III.

De variis Ignis in Chymia operationibus.

Corpora igne tractabilia è triplici vegetabilium, mineralium,

lium, & animalium Regno hoc in orbe eruditus Chymista rimatur; undè secundum variam corporum naturam variæ ignis operationes à diversis auctoribus dinumerantur, &

Primò *Quercetanus* septem ignis adnumerat operationes, quæ sunt calcinatio, digestio, fermentatio, destillatio, circulatio, sublimatio, & fixatio.

Secundo *Paracelsus lib. 7.* de transmutationibus rerum naturalium adducit operationes, quas ceu gradus transmutationis Chymici appellant, & sunt septem, calcinatio, sublimatio, solutio, putrefactio, destillatio, coagulatio, & tinctura, per quas Chymicæ operationes corpora veluti subtiliationis scala transmutari inquit, dùm ait: *Si quis jam istam scalam ascendat, is in tam mirabilem locum perveniet, ut multa secreta videat, & experiatur in transmutatione rerum naturalium.* Quæ *Paracelsi* divisio cum supra allata *Quercetani* aliquo modo coincidere videtur, & aliquo modo differre.

Alias alij Chymicæ operationes enumerant, sed facilè, vel cum prædictis septem confunduntur, vel ad eas reducuntur.

Alij verò duas assignant præcipuas genericas ignis operationes, ad quas perficiendas cæteras reducunt, quarum primam solutionem appellant, alteram verò coagulationem; Sic enim ad solutionem perficiendam dirigunt calcinationem, sublimationem, putrefactionem, destillationem, &c. atque eadem ratione alias operationes ad coagulationem dirigunt.

Nos verò cum *Paracelso*, *Johanne*

Fabro, & aliis quæcumque naturæ corpora per sex præcipuas tractabimus operationes, quæ sunt, calcinatio, sublimatio, solutio, putrefactio, destillatio, & coagulatio, sive fixatio.

Undè tinctura dicta à *Paracelso* emergit, quæ secundum ipsum est Arcanum summum omnia corpora in summam puritatem, ac perfectionem tingens. Nàm omnis medicaminum activitas in hoc sensu tinctura dici potest, quasi vitam sua virtute tingens. Nos de omnibus principalibus hisce Chymicæ operationibus distinctis articulis agemus.

ART. PRIMUS.

De Calcinatione.

Variis ignis operationibus Chymia utitur, ut corporum purum ab impuro rectè sequestrare valeat, quarum ni Chymicæ facultatis Tyro probè fuerit eruditus, in tenebris verlabitur, omniaque temerè, & in cassum efficiet; eas igitur hic sigillatim percontemur oportet, pro completâ rei Chymicæ intelligentiâ à calcinatione sumpto initio.

Calcinatio est conversio cujuscumque rei in cinerem ab igne, sive actuali, sive potentiâli. Vel est pulverizatio rei per ignem facta per privationem humiditatis partes consolidantis: Vel est misti in calcem solutio. Quæ omnes definitiones in unum sensum coire videntur; nàm dicitur conversio in cinerem, sive pulverizatio rei per ignem facta, sive solutio in calcem, ut nomine calci-

calcinationis designetur tantum ea pulverizatio, quæ per ignem tantum fit, nam aliarum rerum pulverizationes propriè calcinationes non sunt, sed potius triturationes: siquidem propriè calcinatio est solutio rei in calcem, calx autem cinis est, cinis verò nihil aliud est, quam corpus circa quod ignis totaliter egit, nihilque aliud superest comburendum, quia ibi aliud non remanet uestioni aptum, seu ignea vi in auras resolubile.

Dici solet etiam à Chymicis Alkoholizatio, & cinis sive calx; Alkohol nihil aliud sonat, nisi spiritus, sive sal omni humiditate privatus. Hinc spiritum vini dephlegmatum appellitant alkoholizatum, & salia quæ ex cineratis, seu alkoholizatis corporibus extrahuntur dicuntur alkalia. Quilibet pulvisculus tenuissimus; ablatione superflue humiditatis (præsertim ex mineralibus factus) calx appellatur. Quando verò pulvis, vel calx, planè redditur impalpabilis, ad sensum subtilissimus, tenuissimæ farinæ instar, tum alkohol appellatur.

Calcinatione utuntur Chymici, ut vires potestativæ simplicium in actum deducantur, nam cum naturæ lumine nostris ex theorematibus constet vim omnem corporum medicamentosam in intrinseco eorum spiritu seminali latere, qui dum intra materiæ, sive aquæ ergastula fixus nimis, & tena iter alligatus remanet, hinc privatione, sive superflua, sive extraneæ humiditatis, ignitionis beneficio exhalantis, aut discontinuatione partium eorundem corporum, veluti extravertitur, undè

promptius suas exerit vires, ac operatur; undè calcinatio, semper fit cum conservatione humiditatis radicalis fixæ.

Id verò opticè observabile est in cineribus, seu calce ignitorum, ac calcinatorum, corporum, ubi admirandam quandam saliformem substantiam reperies quæ igneâ vi, ingentique activitate prædita, tam in naturâ, quam in medicinâ mirabiles operatur effectus; agit namque id quod alias corpora ante quam calcinata erant, minimè operabantur. Hujus n. salis beneficio cineres arva, plantas, segetesque reddunt fecundiores, undè vegetius pullulant, germinantque si cineribus, quam fimo fuerint saginata. Latet namque in hujusmodi cinerum alkalibus salibus vis, & fomes quidam vitæ, undè si cineres alicujus vegetabilis aliqua telluris parte indantur, vim seminalem producenti ejusdem speciei vegetabilem autumat *Petrus Joan. Faber cap. 2. Palladij spagyrici*, non secus ac ranæ quotannis in limum resolvuntur, ex eodem limo propriæ earum vitæ fomite, tanquam ex semine renascuntur. Imò ut refert idem supra cit. auctor, muscæ, quæ hyemis tempore pereunt, si cineribus, earum corpora cooperiantur brevi tempore vivificantur, ac per aërem abeunt volitantes, victumque quæritantes non secus ac alias veris tempore adventante calore spontè resuscitantur. Hæc, & alia operantur in naturâ prodigia salia. In medicinâ etiam mirabiles sunt hujusmodi alkalizati salis dotes; dum eo utimur felici successu ad inspiratos, chronicosque mul-

multos morbos profligandos, aliàs usualibus seplasiarum vulgaribus medicaminibus, insuperabiles, ut suo loco fusiùs dicemus.

Calcinatio duplex est, una actualis, potentialis altera. Actualis ea est, quæ fit actuali, validoque igne, quæ vera calcinatio dicitur. Potentialis autem est illa, quæ potentiali igne fit, ut sunt aquæ fortes, chrysulcæ, stygiæ, regiæ, spiritus omnes salium, & similia quotquot extant dissolventium genera.

Rursus actualis calcinatio etiam triplex est, quatenus triplici corporum generi competit.

Prima dicitur cinefactio, quæ est ignitio, quâ vegetabilia, & animalia violento igne in cineres rediguntur.

Secunda reverberatio, quæ est ignitio, quâ corpora præsertim mineralia, igne reverberante in reverberij furno, calcinantur.

Tertia demum dicitur desiccatio, quæ nihil aliud est, quàm resolutio, & attenuatio superflua, sive accidentalis humiditatis in corporibus existentis ab igne facta, quæ fieri solet in salibus, vitriolo, alumine, & similibus, præsertim antequàm retortæ indantur pro eorum spirituum destillatione, quæ media calcinatione extranea, inutili privantur humiditate, ut purior media destillatione deinde eliciatur ab eis spiritus, ut suo loco dicemus.

Calcinatio autem potentialis, seu potius corrosio peracta ab igne potentiali adhuc quadruplex est, quatenus quatuor diversis modis, seu mediis perficitur. Prima dicitur amalgamatio: quæ definitur esse

corrosionem metalli per hydrargyrum, adeoque metallorum propria est, ad chrysopopæos potius spectans, qui ea utuntur ad metalla perficienda, sive graduanda, utuntur etiam ea aurifabri pro aliorum metallorum deauratione &c. quæ fit quando metallum (excepto tamen ferro) in tenuissimas bracteolas comminutum cum mercurij partibus octo plus, minusve secundum metalli minorem duritiem, igni exponitur ad ejus unitatem dissolvendam, nam evaporato mercurio remanet metallum tenuis calcis ad instar.

Secunda dicitur stratificatio, cui affinis est etiam cæmentatio, quæ fit cum crucibulum, pixis, vel aliud simile vas, laminato metallo, & pulveribus corrosivis repletur, faciendo stratum super stratum, idest ponendo parum sulphuris corrosivi in pixide, & parum tenuis pulveris, sive laminarum metalli supersterendo metallum pulveri corrosivo, & vicissim pergendo usque ad vasis repletionem, quod igni, sive carbonum, sive reverberij exponitur, sicque cæmentatur per horas 4. 8. 12. 24. &c. pro artiacis intentione, & metalli cæmentandi natura, & hac etiam utuntur Alchemistæ, ad metalla depuranda, ac diversimodè coloranda, vel exaltanda.

Tertia dicitur fumigatio, quæ est corrosio metalli per fumum, vel per acrem vaporem, fitque cum corpus metallicum in lamellas deductum suspenditur super aquas fortes, acetum, mercurium, plumbum liquefactum, &c. uti vulgò cerussam parare consueverunt ex plumbo suspensio super aceti vaporem.

Quarta

Quarta demum dicitur præcipitatio, quæ est corrosio per aquas fortes, per spiritus acutos, cæterosque acidos liquores, quæ fit cum corpora mineralia, & metallica liquori corrosivo immerguntur, & postmodum corrosa, & soluta, vel aliquo liquore ad vasis fundum reperiuntur, vel aquæ solventis abstractione, seu destillatione calcem in fundo derelinquunt.

ART. SECUNDUS.

De Sublimatione.

Sublimatio est ignis operatio valde principalis atque pernecessaria scitu; hic igitur quid sit, quidve in Chymia præstet, inquiremus, oportet.

Et quidem ejus naturam nomen ipsum pandit; nam sicuti in communi loquendi modo, sublimare nihil aliud significare videtur, nisi attollere, sive in altum evehere, unde homines metaphoricè dicuntur sublimes, dum honore, virtute, ac gloriâ à reliquorum hominum turbâ distinguuntur, ac quasi segregati, ac selecti sunt à reliqua vulgari hominum fæce: Ità in Chymicorum vasculis varia, dum sublimantur corpora naturalia, ac in altum elewantur, puriores eorum spiritus ab illorum inutili fæculentiâ separantur; quapropter definiri sublimatio potest, quòd nihil aliud sit, quàm fixi humidi radicalis, sive sulphuris, sive entis seminalis, sive spiritus essentialis corporum elevatio, atque à sua terrestri materiali fæce segregatio, igne rectè operante. Latet namque

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

in naturalibus corporibus essentialiale quid igneæ, & æthereæ naturæ, quandoquidem minimum, sed in virtute, & energia maximum, quod dum materiæ compedibus intrusum manet, fixum ac permanens est, essentiali, specifica activitate, vel nulla, vel nimis debili præditum, quia ejus potestativa operandi vis est impedita, quandiù intra materiæ ergastula clauditur, quod nisi alta petens, ab illâ separetur, atque in actum deducatur, suis minimè decorabitur facultatibus; est autem maximè affinis destillationi hæc operatio, atque per id ab ea differt, quia destillatio humidorum propria corporum est, sublimatio autem siccis administratur rebus, unde aliqui destillationem describunt esse humidam exaltationem, sicut sublimationem siccam appellant elevationem.

Administratur verò sublimatio propriè rebus mineralibus tanquam siccioribus, sicut destillatio corporibus vegetabilibus, & animalibus utpotè humidiori substantia præditis, ut insinuat *Paracels. lib. 7. de natura rerum*, ubi de earum tractatione edisserens, inquit: *Sicuti spirituale à phlegmaticis, & aqueis rebus in destillatione ascendit, & à suo corpore separatur, ità in sublimatione spirituale à corpore, volatile à fixo in rebus siccis, ut sunt omnia mineralia, attollitur, & subtiliatur, & purum ab impuro separatur.* Et *Hermes* ità videtur in sua tabellâ sinagdinâ sublimationem indicare: *Separabis terram ab igne, sublime à crasso, &c.*

Quid verò in naturalibus corporibus operetur sublimatio, ipsa

G

sen-

sensuum autopsia docet, dum ejus beneficio multa crassa corpora subtilia redduntur, ut in sulphuris, vel antimonij floribus accidit. Multa corrosiva, & acria evadunt dulcia, & benigna, ut præcæteris in mercurio dulci id observabile est, ubi mercurius sublimatus acerrimus, acutissimus, ac suâ ingenti corrosione venenosus, novi mercurij admistione, & cum eo sublimatione dulcescit, mitigatur, atque in nobile luis venereæ, præsertim recentis facessit medicamen. Multa etiam benigna, & dulcia, è contra evadunt acria, & corrosiva, ut in ipsâ mercurij sublimati fabrefactione contingit, qui dum ex vitriolo rubificato, sale præparato, & sale petræ, & similibus, aliàs non adeò corrosivis, fit sublimatus valdè corrosivus, &c. Item ejus medio multa volatilia fixantur, pleraque impura purificantur, ut inferius observabitur.

Sublimantur autem corpora, vel per se sola, vel cum additione. Per se sola, ut antimonium, sulphur, sandaraca, arsenicum, &c. quæ ficas habent volatiles ad ignem exhalationes. Per additionem, ut in mercurio sublimando liquet; mercurius per minima, dum cum salium spirituosus particulis miscetur, sublimatur, qui aliàs per se solus non sublimaret.

Vasa, quibus ad sublimandum utimur, debent esse, vel vitrea, vel terrea vitreata secundum sublimandi corporis exigentiam, ut sunt matulae, matraccia, bocia, & similia, quibus adaptantur pilea, vel rostrata, vel non rostrata, vel nullo modo adaptantur, ut cum aludele, vel

retortâ utimur, &c. quibus nullus adaptatur pileorum usus. Vasorum figuræ, vel debent esse oblongæ, vel teretes, ut clarius in praxi observatur, eo tamen, ut ab ignis calore capitellum, aut superior vasis pars minimè incalescat. Vasa vitrea debent esse lutata, sive luto sapientiæ munita, nè dissileant.

Ignis debet administrari, ac graduari secundum corporis sublimandi exigentiam; alia enim corpora exigunt fortem ignitionem, ut marchasita, tutia, antimonium, & similia; alia mediocrem, ut mercurius, realgar, &c. alia ignem remissum, ut sulphur.

Gradus autem ignis in sublimatione rectè sunt observandi, aliàs operatio malè se habebit; primo n. ignis lentus est exhibendus, & talis, qui valeat humiditatem tantum, si adsit in materiâ sublimandâ, ab illa separare, elevare, & per rostrum, vel aliter foras expellere, deinde pedetentim debet augeri, & intendi ad ultimum usque gradum à materiâ sublimandâ exigentum, ut clarius in praxi liquet.

Ad sublimationem reduci etiam possunt exaltatio, elevatio, & fixatio, ut rectè fatetur *Paracels. cit. loco*, nam multa mediis iteratis sublimationibus fixantur, & constantes fiunt, &c. ut fusius infra.

ART. TERTIUS.

De Solutione.

Solutione etiam uritur Chymia ad corporum naturalium referendas cortices, inutilesque segregandas.

gandas quisquillas ab eorum puriori, atque subtiliore parte, ut scilicet melius possit ex eis medicamentosas elicere virtutes: sic docente natura, quæ in animalium corporibus, ut congruum è cibariis præpararet, educatque nutrimentum, illa prius dentibus contrita medio excitativo calore digerit, resolvit, undè purum recipit, rejectis inutilibus eorum impuritatibus.

Solutio igitur diversimodè, ut sic accipi solet. Et quidem apud Grammaticos idem est, ac à vinculis liberare, ut in nostrâ Grammaticâ Speculativâ diximus. Apud Philosophos idem significat, ac rem patefacere. Apud Medicos idem, ac liquare, & mollifacere. Apud Chymicos verò idem denotat, ac in minimas partes comminuere, seu in aquam convertere. Undè multoties metallorum calcinatio, sive per salia corrosiva, sive per aquas fortes, dicitur etiam solutio. Propriè tamen in strictâ significatione solutio à Chymicis accipitur pro corporum reclusionem, seu resolutionem in sua principia. Undè definiti solet, quod sit operatio, quâ corpora naturalia mista in sua principia, ex quibus à naturâ sunt composita, resolvuntur. In quo sensu sumitur pro prima, & principaliori ignis operatione, cum Chymia omnes alias ignis operationes eò dirigat, ut perfectam principiorum analysim perficiat, ut scilicet ea peracta melius possit utile, homogeneum, essenziale ens, sive spiritum purum è materiæ claustris absque impuritatibus elicere, atque ad medicinæ usum adducere. Verùm sumitur hic solutio tanquàm

particularis spagyricæ operatio, seu ut inquit Paracels. *sup. cit. lib. de transm. rerum natur.* Tanquàm tertius gradus, quo itur ad naturalium rerum transmutationem; nam sæpè sapius post calcinationem, vel sublimationem, vel destillationem, sequitur, ut solvas materiam, quæ in fundo remanet, ut purum ens essenziale inde educas.

In quo sensu sumpta solutio duplex est. Una s. quæ fit à frigore, & humiditate, quæ dicitur etiam resolutio. Altera verò caloris, quæ solet quandoque appellitari dissolutio. Solutio frigoris fit in humidâ, & frigidâ cellâ, aut aliàs in aëre, in marmore, vel vitro, quæ fit beneficio vaporum aqueorum in atmospharâ existentium, quæ solvunt omnia salia, omnia corrosiva, omnia calcinata in liquorem, in aquam, in oleum. Omne namque quod in frigore solvitur, est de natura salis alkali, quod omni humido radicali ab ignis activitate utpotè privatum ficcissimum est, unde novi humidi vapore tenuis in atmospharâ contenti imbibitione solvitur, ac liquoris formam induit; undè omne quod in frigore, & humido aëre solvitur, iterum ignis calore per humidi extranei exhalationem coagulatur in pulverem, vel salem. Solutio verò caloris solvit omnia pingua, & omnia sulphurea, quæ ignis medio fit. Nam quidquid ignis calor solvit, hoc coagulat frigus in massam, & quidquid calor coagulat (præsertim saliformæ,) hoc solvit rursus aër, & frigus.

Hic differendum esset de mineralium per aquas fortes solutione, de

quâ quoniam satis supra diximus, cum de calcinatio e egimus, ideò meritò hic eandem repetere omitimus.

Hæc operatio ministrari solet omnibus solidis materiis, quæ ad alias ignis operationes constantes resistunt, ac consequenter non adeò facilem admittunt volatilis earum substantiæ separationem, ut sunt omnia salia alkalia, & mineralia fixa, quæ volatilizari exigunt, ac ob anaticam unionem spiritus cum materia; ab una, vel altera ignis operatione non solvuntur in sua principia. Hinc semivolatilia sunt separata volatili eorum parte, solvitur fixa, ut similiter volatilizetur, ut in operatione spiritus vitrioli rectificati, sulphuris metallorum, & similibus accidit operationibus. Solvuntur n. hæc dum eorum partes, vel novi humidi haustu, ut alkalia, vel novi spiritus volatilis admissione, atque actione discontinuantur, ac iterata veluti comminutione eò subtiliantur, ut veluti novam naturam nanciscantur, ac in nova entia transmutentur; Undè illud spagyricorum oritur theorema, quod si corpora eò subtiliantur, ut amplius subtiliari non possint, transmutantur; Id namque quod fixum est, ut inquit Paracels. cit. loco, ignem habet absconditum valdè corrosivum, ac summis virtutibus præditum, qui solutis corporum vinculis, subtiliatisque fixæ materiæ partibus, à corporibus educitur, novasque acquirit vires sub nova forma ludens.

ART. QUARTUS.

De Putrefactione.

A Bominabile nomen putrefactionis apud vulgum, sed Chymicis grata; ea n. utuntur, ut puram, putamque partem essentialiẽ e corporibus putrescentibus educere possint. Non n. Chymicum opus perfici potest, quandiã constitutiva corporum essentia sub materiæ larva corpori componendo vacat; Hinc putrefactione utuntur spagyrici, quã corporum compagem destituentes, facilius spiritualem eorum partem essentialiẽ ex eis elicere possint, ac in eorum usus disponere: sic edocti ab ipsâ naturâ, quæ etiam putrefactione utitur, ut in terræ sinibus animalia, mineralia, & vegetabilia in sua solvat initia, hac educta homogenea spirituali eorum partẽ ab impuris eorum ætherogeneitatibus meliùs possit illam, vel in vegetabile *Lessus* vel in minerale *Bur* pro seminum exigentiã convertere.

Lessus autem, & *Bur* sunt duæ voces, quæ à Paracelso, & Helmontio usurpari solent ad significandos duos liquores terræ diversos pro seminum exigentiã per localia fermenta transmutatos. Nam liquor ille aliàs simplex, & homogeneus, qui per terræ viscera fertur, ut in vegetabilium, vel mineralium cedat alimentum, si in vegetabilium radice, ceu in culinâ haustus fuerit, ubi media coctione, seu peculiari seminis fermentatione vegetabilem dispositionem induit, *Lessus* dicitur; Si autem

tem fermentalem mineralium odorem subibit, indolemque mineralem assumpserit, dici solet *Bur.*

Putrefactione utitur igitur natura, ut vicissitudinales rerum naturalium compleat periodos; corpora n. quaecumque ætherogenea media putrefactione in sua principia, ex quibus primò componuntur, resolvuntur, ac sub ea seminum specificorum amittunt virtutes, ac facultates, ut rursus novam seminum specificorum quorumcumque corporum, quæ producuntur, indolem acquirant, novoque hausto fermento in eorum alimentum cedant, undè novas formas, novasque induant operandi facultates. Id quod forsan inspiciens *Aristot. 1. de generat. cap. 3. tex. 17.* inquit: *Non nisi ex corruptione unius generari alterum, & è contra.* Ità, & in animalium ventriculis non nisi putrescentibus prius sub digestionem cibariis, educitur purus nutritivus pro animalis alimento succus.

Naturæ igitur pedillequa spagyrica facultas, cum purum, homogeneum, & essentiali corporum succum educere intendit, ea prius media putrefactione destruit, ut solutis eorum principiis, melius possit purum ab impuro segregare. Undè non immeritò *Paracels. cit. loco* asserit hanc operationem esse primum, ac principalem gradum Chymicæ, & consequenter ut plurimum primum omnium debere administrari.

Definiri igitur poterit, quòd sit partium ætherogenezarum digestivi, seu fermentalis caloris ope corruptio per spiritus essentialis separationem à radicali corporum humido, seu materia. Quod præcipue

cum intendunt acutiores spagyrici, & advertentes id perfici optimè per putrefactionem, eam ideò veluti cuiuscumque Chymicæ operationis fundamentum, ac principium, commendarunt artis filiis.

Compræhenduntur sub putrefactione digestio, & circulatio, quibus mediis purum ab impuro à corporibus separatur. Multa renovantur, & in aliam formam traducuntur. Corrosiva quaecumque acrimoniam deponunt, atque lenia, & dulcia evadunt. Quæque sua exotica qualitate in nostram vitam immaniter furerent, assumpta, cicurantur. Per hanc operationem rerum mutantur sapor, odores, colores, & alia mirabilia, tum in arte spagyricâ, quàm in naturâ perficiuntur.

ART. QUINTUS.

De Destillatione.

Sæpè prius ad corporum superficies evocato spiritu, sive essentia, media digestionem, sive putrefactionem, destillationem utimur ad eundem è materiâ impuritatibus extrahendum; post putrefactionis igitur notionem, destillationis naturam perquirere necessarium ducimus.

Definitur autem destillatio à *Brugino*: *Quòd sit partium humidarum, in halitus à calore attenuatarum, atque elevatorum, & halituum ab ambiente frigido in liquorem coactorum, per alembici rostrum, in excipulum subjectum extractio.* Eò enim est directà à Chymicis destillatio, ut purum, & essentiali rerum omnium humidum volatile è reliqua impura materiâ parte se-

paretur, atque ea utuntur, præsertim quando volatilis essentia rerum sub humida larua ludit. Sic docente natura, quæ postquam in terræ thecæ corporum principia per putrefactionem separavit, ea in vaporosos halitus resolvit medio solari igne, ut illis in media aëris regione evehitis, ejus frigiditate percussis in varia facessunt metheora, unde aquea pars in rorem, pluviam, grandinem, nivem, &c. decidet, tanquam corporum, quæ in terræ sinibus, generantur, alimentum; Ignea verò, sive ætherea inibi in fulmina, tonitrua, ignes cadentes, & similia.

Per destillationem namque à Chymicis omnes aquæ, liquores, & olea subtiliantur; ex omnibus pinguis sulphureus, oleosus spiritus elicitur, &c. Ulterius multæ res in destillatione fixantur per cohobationem; multa fixa volatilizantur, &c.

Reducuntur ad destillationem rectificatio, & cohobatio. Rectificatio est repetita liquorum destillatio ad eorum spirituosas partes magis purificandas, & è parte materiali separandas. Cohobatio verò est destillationis reiteratio, qua liquor destillatus rursus facibus affunditur, & denuò destillatur, quæ fieri debet facibus prius tritis, & humore paulatim imbutis, ut macerentur.

Rursus destillatio alia est calida, alia frigida. Calida est, qua partes spirituosæ, & subtiles à materialibus, & crassis, mediante igne, separantur. Frigida verò, qua per descensum absque igne partium subtilium à crassioribus fit separatio.

Quæ etiam dicitur filtratio, vel deliquium ob diversos modos, quibus hæc operatio fit, & quidem filtratio, vel fit per chartam emporeticam, aut manicam Hippocratis, laciniam mucronatam, aut simile aliud instrumentum. Deliquium verò dicitur, cum immundæ calces, salia, & similia aëreæ humiditatis haustu liquabilia, vel per se inclinata tabulæ marmoreæ, aut vitreæ imponuntur, vel sacculo inclusa suspenduntur, ut in aëre vaporoso liquefcentia purum sal ab aliquâ resolutum emittant, ut in tartari oleo fabrefaciendo accidit.

Aliæ etiam destillationis differentiæ à variis modis, & vasis cum quibus ea fieri solet, à Chymicæ professoribus desumptæ, huc adduci possent, ut sunt, quæ fiunt, vel per ascensum, aut per descensum. A vasis verò alia dicitur recta, ut per Bociam, Matracium, Urinalia, &c. Alia dicitur obliqua, seu per Retortam, &c.

Sed cum hæ, & similes destillationis differentiæ, vel parvi, vel nullius sint momenti, ac facilius si quæ sunt, percipi possunt in praxi, & penes artifices, eas ideo hic merito perconsere omittimus.

ART. SEXTUS.

De Coagulatione, & Fixione.

Hucusque eas perconsuimus ignis operationes, quæ ad extrahendum è corporibus purum essentialem spiritum ab impurâ materiali eorum faculentia, diriguntur; nunc de coagulatione, seu fixio-

fixione agimus, qua scilicet possimus eundem spiritum; sive essentiam adeò tenuem, atque volatilem, nè statim aufugiat in auras, tum fixare, tum etiam, ut valeamus res sua volatilitate nimis vitæ nostræ infensas, cicurare, ac corrigere, media coagulatione, seu fixione.

Coagulationem, & fixationem simul hic examinamus, quia hæ operationes, adeò sunt affines, ut aliqui unam cum alterâ indifferenter confundant, ac utramque pro eodem usurpent.

Nos verò remur aliquo modo inter se differre has operationes tantum secundum magis, & minus; nam fixa ea sunt quæ humidum radicale adeò permanens habent, ut nullis agentium viribus volatilizari finant (præterquam ab Alkahest, ut ab cultioribus Chymicæ professoribus circumfertur) ut aurum, vitrum, salia alkalia, & similia, quæ ob anaticam unionem essentiæ cum materiali eorum parte, nullis ignis viribus volatilizari sinunt, sed fixa permanent. Coagulata verò ea dicuntur, quæ concreta quidem sunt, sed facile ab igne volatilizari possunt, & ulteriorem fixationem quandoque recipere possunt, ut metalla imperfecta, & alia mineralia, ut vitriolum, alumen, arsenicum, salnitrum, armoniacum, gemmeum, commune, & similia, quæ partim volatilizationis, partim ulterius fixationis sunt capacia. Itaque patet quòd sit aliquod magis latè patens coagulatio, quàm fixio, quia multa sunt coagulata, non fixa, ut aqua, quæ in nivem, grandines, &c. coagulatur quidem, sed non fixatur. Sic

mercurius sublimatus, aut vulgari modo præcipitatus coagulatur quidem, sed non fixatur; è contra verò nihil est fixum, quin etiam sit coagulatum, ut discurrenti patet. Sed quidquid sit de hac differentiâ, solent esse aliqui, & unam pro alterâ accipere. Unde

Definitur primò à Gebro coagulatione, *quòd sit rei liquidæ reductio ad solidam substantiam per humidi privationem.*

Quæ definitio non omni competere videtur coagulationi, nam multa coagulantur absque humidi privatione, sed tamen ipsum corpus humidum, sive volatile coagulatur multoties, & fixatur absque humiditatis separatione, sed ipsa humiditas volatilis coagulatur, & fixatur, ut passim in praxi observatur.

Secundò, Faber in suo Palladio Spagyrico eam definit, *quòd sit humidi radicalis puri volatilis in permanentem substantiam radicalem unctuosam permutatio, quod idem sonat, ac mollis induratio, & humoris occultatio.*

Multipliciter autem fieri hanc operationem communiter asserunt Spagyrici. Et quidem primò per exaltationem, quando scilicet humor ignis vi attenuatus, ac in vapores coactus evolat, remante essentiali humido, vel sub saliformi substantia, vel aliter coagulato, ac fixato. Sic omnia salia in aqua soluta per humidi exhalationem coagulantur. Secundò coctione, seu digestionem, qua spiritus volatiles quandoque fixantur, & metalla omnia, & reliqua mineralia, & cætera in terræ visceribus coctione indurantur. Tertiò conjunctione, seu unionem, quæ fit, quando volatile purum,

& nitidum cum fixo itidem puro unitur in cuius co tactu fixatur, sic spiritus omnes volatiles attactu salis fixi alkalizati, vel alterius similis corporis etiam fixantur aliquo modo, sicut etiam suo attactu quandoque volatilizare valent corpus fixum, quod solvunt, dum tangant. Qui præcipuus est fixationis, seu coagulationis modus, quo utuntur passim Spagyrici, nam sal essentielle sub formâ volatilis spiritus ludens tactu salis fixi ejusdem naturæ magis essentialificatur, ac simul cum fixo ambo coalescunt in quintam essentiam.

Aliqui omnes modos, quibus coagulatio fieri potest ad duos tantum præcipuè reducunt, ad separationem, & comprehensionem.

Coagulatio per separationem illis est quando humoris separatione, sive illius, quod fluit, durum mistum evadit, & hanc volunt esse coagulationem Chymicam, cujus usus frequens est in corporum depuratione.

Coagulatio per comprehensionem est, quando res humida solida fit absque ulla ipsius diminutione, ut cum salia, vel aqua coagulantur, quam coagulationis speciem ad generationem spectare fatentur.

Atque hæc satis sint de igne, & variis ejus operationibus; nam si alias forsan apud varios auctores reperietis commentas ignis operationes, facile ad supra à nobis adductas reducuntur, cum omnino cum prædictis conveniant, præterquam quòd siquæ excogitabiles ab aliquibus, sunt ex in praxi observabiles, minimè erunt tanquam diversæ à nobis supra allatis.

Quibus mediis operationibus elicit Chymia è naturæ corporibus essentiam, (quam *Paracelsus* appellat tincturam) undè varia præparat medicamina; hinc ab operationum ignis examine expediti, medicaminum edissertationem aggrediamur, oportet. Sic igitur





D. CAROLI
 MUSITANI
 IATRIAS PROFESSORIS,
 PYROTECHNIÆ SOPHICÆ
 LIBER TERTIVS.

De Secretioribus Medicamentorum Chymicis Preparationibus in communi; & præsertim

De eis quæ ex Vegetabilibus educuntur.



UIDQUID ad mortalium lamentabiles reparandas calamitates, alterabilemque vitam in suo sanitatis tono conservandam, aut in atoniam lapsam, ad naturalem armoniam restituendam sagax natura dixerit, nunc aggredimur examinandum; morti namque per vetiti essi ligni venenum, dum facta est obnoxia humana natura, morbis quoque tanquàm dispositionibus ad mortem se subjecit: semel namque maligno Satanæ suasu obsequens, deturpata prima ejus simplicitate, defædata ejus puritate, corruptibilis dùm evasit, mille morbosarum ærumnarum sustulit quoque sagittas, à quibus non nunquàm confossa languet, sæpè vulnerata fatiscit. Hinc omnipotens ille rerum parens, talem humanæ naturæ statum clementer

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

H

com.

commiseratus, creavit de terrâ medicinam, ut tantoperè ab eo dilecti hominis vita, ab irruentibus in dies morborum flagitiis vindicaretur, quàm ut è naturæ sinu depromeret, Chymiâ utitur homo, quâ scilicèt posset in proprij vultus sudoribus industri laborum artificio, bonum, & purum rerum naturalium à malo, & impuro, quod terra sub spinarum, & tribulorum misterio offert, vindicare, segregare, & uti; Undè igne naturalia tractans corpora possit pura medicamina ab impuris venenis secreta, non autem illis immista languentibus propinare. Sit ergò.

CAPUT I.

Quid sit Medicamentum, in quo consistat ejus vis curativa, & per quid differat ab Alimento, & Veneno.

NE in tenebris versemur in particularium corporum perficienda anatome, nescientes, quid ex illis sit eliciendum, ut medicamina fabricare possimus; videndum prius in communi est, quid sit medicamentum, & in quo nam consistat ejus vis morborum curativa, ut melius cognoscamus eorum naturam in particulari, ac in agrorum solamen dirigere.

Medicamentum igitur definit Galenus 1. de simpl. medic. facult. cap. 1. quòd sit omne id, quod naturam nostram alterare potest. Verùm pace Galeni manca videtur hæc sua definitio, cum non solum medicamento, verùm etiam Veneno, & morbis ipsis competere videatur, à quibus etiam natura nostra alteratur. Præterquàm quòd omnis realis definitio fieri debet per demonstrationem essentialis constitutivi, sive per explicationem causarum, à quibus ens, quod definitur in suo esse constitui-

tur; Galeni autem adducta definitio in hoc deficere videtur.

Definiri igitur potest aliquantò melius medicamentum cum *Fabro lib. 1. Myrothacij Spagyrici cap. 3. Medicamentum est purum naturæ, quod naturam nostram læsam, & morbo afflictam alterando succurrit, & juvat*; per quam definitionem medicamenti natura fat patere potest: Nam dicitur, purum naturæ, ut pateat essentialē constitutivum medicamenti, sicut & omnium aliorum corporum naturalium operativum initium, à quo unaquæque res primò constituitur in suo esse, & ab eo omnis corporum pendet operatio. Dicitur verò, quòd naturam nostram læsam, &c. per quod patet differentia medicamenti ab omni eo, quod non est ipsum; nam tantum medicamenti proprium est naturam nostram eo modo alterare, ut illam læsam juvet, restituat, &c.

In quo autem consistat vis omnis cura-

curativa medicamenti, per quam nostram alterare valet vitam, ac à morbis vindicare, incompscibili jurgio controvertitur inter scholasticos Galenistas, & Paracelsistas, adeò ut ambæ hæ sectarum phalanges magno logismorum apparatu munitæ invicem pugnent, unaquæque tamen pro propriâ suadendâ, ac tuendâ, sententiâ: Galenistæ enim sicuti omnia corpora naturalia ex quatuor elementorum connubio prodire affirmant, ita eorundem omnes activitates primis elementalibus qualitatibus refundunt, quas sicuti contrarias invicem assignant, omniumque corporum activitatem vi contrarietatis sustentare putant, ita etiam omnia medicamenta vi ejusdem contrarietatis agere, morborumque curationes perficere suadentur.

Paracelsus autem *Galenum* Helvetico veluti cachinno irridens, licet quandoque sibi ipsi inconstans, atque dissimilis ad sæpè sæpè explosa elementalium qualitatuum theorematum recurrit; tamen negat medicamina vi contrarietatis morbos curare, & fatetur omnem medicaminum activitatem, ac, sanationes omnes vi similitudinis perfici, à quo etiam seducta Paracelsistarum turba, pro hac astruenda sententiâ acriter contendit.

Sed hæc facile conpscere poteritis lites, si lumine naturæ, primò cognoveritis omnem vim, sive virtutem medicamentosam, per quam medicamenta morbos curare valent, consistere in pura, ætherea, spirituosâ, essentiali rerum substantia (competente tamen, non autem

exuberante) in quâ *Archeus* vitalis suas reperit delicias, atque pacem, undè natura à suo casu veluti resurgit, atque ex jacente fit sedens.

Secundò, si animadvertatis ambas hæ sectarum phalanges lumine tantum phantasiæ ductas, ac seductas in varietate suppositi versari, sub æquivocis tamen, nec de eodem termino disputare. Nàm Galenistæ suum dùm astruunt axioma: *contrariis contraria curantur*, loqui videntur de eâ contrarietate, quæ refertur ad morbum, quia dùm ex propriis constat causis, quæ sua activitate vitam pessumdantes, in ejus destructionem terminantur; hinc medicamentum quatenus morbo resistit, eumque expellit, rectè dici poterit in hoc sensu: contraria contrariis curari, cum contraria ea sint in naturâ, quæ se mutuò expellunt. Paracelsistæ autem considerantes omne malum, & defectuosum, seu morbosum non in positivo, sed in negatione integritatis vitæ consistere, quatenus omnis morbus consistit in integritatis vitæ privatione; hinc considerans purum medicamento-rum ens vitæ applicatum, (quæ secundum *Hippocr.* est vera morborum medicatrix) ob maximam, quam habet cum illâ similitudinem, illam restaurare, reparare, munire, atque à defectuoso statu ad integrum reducere, atque adeò sanam reddere; asseruit: *similia similibus curari*. Non tamen vi contrarietatis, sed vitam restaurando, quæ dùm restauratur, ipsa dein insurgit ad morbosorum entium à suo limine proscriptionem. Atque adeò cum non loquantur de eodem termino hi disputantes,

tes, nulla ampliùs supererit de hac re inter eos lis.

Ex quibus colligere etiam poteritis differentiam medicamenti ab alimento, & veneno; nam alimentum etiam est pura ciborum substantia, quæ nostrum vitæ spiritum sustentat, non secus ac oleum totum inflammabile, purum, ac æthereum, in ellychnio accensam sustentat lucem, ac in ejus alimentum cedit. Venenum verò est omne id, quod, sive natura sua exoticum, sive exuberans intra vitæ nostræ limina receptum, vitam diversimodè agit, quatit, atque suâ præsentia in varios impellit motus præternaturales, ut in furorem, iram, pavorem, &c. à quibus agitated vitæ spiritus, sicuti ægrotat, ita demùm ni deficient tales motus, fatiscit, atque extinguitur. Non secus ac v. g. si puro oleo aquam, quæ minimè inflammabilis est, atque aliud simile misceas, quod deindè, si diù perseverabit, flammam reddit aliquantò infirmam, ac demùm extinguit in ejus radice receptum; idque quia id non est exigitum, neque in lucis nutrimentum cedere valet.

Colliges hinc differentiam medicamenti à veneno, & alimento, quia alimentum tantùm habet vitam sustentare, atque in eodem tenore conservare. Venenum verò habet eam pessumdare, destruere, attenuare, ac in pejus alterare, ac demùm extinguere. Medicamentum verò eò illam alterare valeat, ut à statu morbofo ad sanum suâ vi restituere valeat, causas omnes occasionales vitæ nostræ insensas proscribendo, abstergendo, atque diver-

simodè agitated pacando, è præternaturali statu morbofo, ad naturalem statum reducere, ac restituere valet.

CAP. II.

Quotuplex sit Medicamentum in Communi.

Tot debent esse medicaminum species, quot sunt modi, & viæ, quibus natura (*que est vera morborum medicatrix*) sanationes morborum perficere valet; Nam cum omnis morborum curatio consistat in ablatione causarum morborum, à quibus fiunt, & conservantur in vitâ entia morbofa; quot igitur erunt causæ morbificæ, & viæ, quibus earum expulsio perfici potest, tot debent quoque esse medicaminum species, sive facultates, & energię, pro cujus rei clariori intelligentiâ

Supponendum, omne ens morbosum à duplici causâ constitui in suo esse, & operari. Prima, & principalis est efficiens Idea in Archeo, seu vitæ spiritu ad noxiæ præsentiam parta, in cujus obsequium semel redacta vita, ab eaque impulsâ, ei servit, à quâ impellitur. Secundò est occasionalis, quæ est veluti occasio, ad cujus præsentiam, talis suscitatur Idea in vitâ, non secus ac ex ictu chalybis, & silicis excutitur ignis, ut est omne id, quod vitæ nostræ extraneum in suâ quadrâ introductum, suâ præsentia, totam Archei, sive vitæ spiritus. Economiam turbat, ac quietem invertit. Sive id sit deforis receptum, sive susceptum, ut venenum, vel omne aliud

aliud naturæ nostræ exoticum simul cum potu, cibo, vel pharmaco in nostrum corpus furtivè introductum, five inspiratum Gas, aut minerale, aut quomodocumque putridum, five Epidemicum, five Endemicum, & similia, quæ deforis introducta valent sui præsentia Ideam morbosam in vitâ suscitare, five vitæ integritatem intercipere. His etiam addere poteritis injecta à Sagis, quæ simili modo operantur, Archeum commovendo, ac in varios furores impellendo, &c. Sive fuerint retenta nostrarum facultatum vitio, errore, vel defectu, ut sunt recrementa vel post celebratas alimentis coctiones residua, vel ex alimentorum transmutatione penes nos progenerata: quæ tanquam ex nostræ vitæ republicâ expulsi cives, utpotè unitatis, & concordiæ hostes conturbantes, quandiù intra ejus limina manent. Cujus rei sit in exemplum spina digito infixæ, sola præsentia insitum illius partis turbans spiritum, qui ad noxiæ præsentiam iratus, noxiæ concepta Idea, tumultuatur, ac influo veluti evocato spiritu, ut noxium, sibi que peregrinum expellat hostem, ac à vitæ limine proferibat, furit, impellit, ac furiosè movetur, undè pulsus ingens, calor adauctus, dolor, & cætera in digito excitantur, ita imperante concepta in insito spiritu digiti furoris Idea occasionaliter ibi suscitata à solâ spinæ præsentia. Undè curatio ibi perficitur, vel ablata spinâ, à quâ occasionaliter fovebatur ibi furoris Idea, vel illinctu leporini adipis à canibus prædati, vel linteoli etiam à leporino sanguine madefacti, aut

alterius ejusdem animalis partis vitæ participis applicatione, ubi pavoris Idea jam sigillata, ceu in vitæ sede ob violentæ mortis timorem, perseverat in animali aliàs timidissimo. Sic hac eadem suppositâ theoriâ compertum habemus, Dysenteriam, quæ etiam sustentatur à furoris Ideâ in intestinis concepta, exhibita etiam leporini sanguinis à canibus mactati drachma una confestim curatam, &c.

In quâ re animadvertendum etiam sæpè sapius ex solâ Ideâ in Archeo concepta absque extraneæ materiæ occasionalis in visceribus præsentia veluti seminaliter nasci, ac sustentari morbos aliàs contumacissimos, quos archeales appellat *Helmontius*. Sic in mulieribus hysteriæ affectiones ex solâ furoris, timoris, pavoris, vel simili Ideâ uteri nascuntur, & quandoque ad ultimam usque earum tragædiæ scenam complendam sustentantur. Pari etiam modo Idea in semine podagrici, vel aliter morbosi patris semine concepta seminaliter, veluti jure hæreditario filium podagricum, vel aliter morbosum generat, &c. sed his breviter suppositis tanquam ad remedium cognitionem pernecessariis.

Dico primò, quòd sicut ex superius dictis morbus in suo esse duo dicit, scilicet Ideam in Archeo conceptam, à quo efficienter, & impuritatum vitæ extranearum præsentia, à quibus occasionaliter morbus suscitatur; ita proportionaliter omne medicamentum (morbo ex Diametro aliàs oppositum) in suâ essentia duo perficere debet scilicet impuritatum omnium proscriptionem

è vitæ limine, undè Archei pacatio, atque sui naturalis toni reductio resultat; & prognata Idea morbifica extinctionem.

Dico secundò duplicis generis medicamenta ab arte spagyricâ parari possunt. Aliud est universale, aliud verò particulare. Universale est illud, quod, ob maximam puritatem, perfectionisque entelechiam, ac summam cum vitæ nostræ spiritu analogiam, quam habet, valet quomodocumque morbosam vitam sanare, seu quoslibet morbos curare. Cujusmodi sunt singula *Paracelsi* arcanæ, ut liquor Alkahest, tinctura lili, lapis philosophorum, mercurius corallatus, Diaphoreticus, seu aurum obrizontale, & similia, quæ unius dissolventis spiritus consanguinitate conspirant in unisonum. Valent enim hæc maxima spirituosæ suæ substantiæ puritate vitalem archeum ab omnibus sordibus extraneis, illique exoticis mundare, ac vitam in summam suæ perfectionis, & sanitatis formam tingere, atque exaltare. Particulare verò medicamentum illud est, quod particulatim modo, & viâ, particularem morbum curare valet.

Particulare verò medicamentum rursus dividitur (universale enim, quoniam in unitate consistit, non est divisibile in alias species) & aliud est purgans, aliud verò anodynum, seu confortans. Purgans medicamentum illud est, per quod excrementorum omnium retentorum, vel aliarum impuritarum evacuationes perficiuntur. Anodynum autem, seu confortans illud est, quod ob maximam genialem similitudinem, quam habet cum nostro

vitæ spiritu, atque balsamicam virtutem archeum theticâ idearum cohorte tumultuantem, atque temulenter furentem solatur, pacat, ac penè fatiscentem confirmat. Non secus ac qui operoso labore lassatus dies, ac noctes transegit, totus tam corpore, quam mente fatigatus, atque adeò deficeret, nisi refectionis grato colloquio sociali, ac amænâ conversatione, atque cibo, & potu meraciore, tristes, defessas, oppressas, exhaustasque reparando vires, ad pristinum reducat naturalis tenorem.

Rursus purgans medicamentum quatenus quatuor diversis modis, ac viis excrementorum, & aliarum impuritarum ablationem, resolutionem, ac consumptionem, moliri potest, etiam quadruplex est, scilicet Emeticum, Catharticum, Diureticum, & Diaphoreticum. Emeticum, sive vomitivum purgat per vomitum. Catharticum per inferiora. Diureticum per urinarum vias excrementa resolvit. Diaphoreticum demum per sudores, seu per diaphe- resim evacuat.

Anodynum verò, sive confortans, vel per odorem, vel per radium, veluti spirituale operatur.

Primi generis sunt suffitus, & odores omnes, qui balsamicâ, quâ possident vi naturale nostrum radicale humidum (Balsamum vitale à *Paracelsi* appellatum) corroborando, archeales morbos curare valent. Secundi generis sunt Periapta omnia, & Amuleta, ut Alcis unguis contra Epilepsiam, & magnetis emplastrum, ut inquiunt aliqui, pro abortu præcavendo, &c.

His addunt aliqui remedia dicta specifica, quatenus, vel sunt tantum alicui nostri corporis parti appropriata, eamque peculiari modo respiciunt, ut inquirunt aliqui, sic capitale, ophthalmicum, odontalgicum, cordiale, stomachicum, uterinum, &c. vel alicui morbo specialiter curando idonea, ut epilepticum, apoplecticum, podagricum, febrile, pestilentielle, venereum, vulnerarium, pustulosum, ulcerosum, &c. medicamentum denominatur. Quæ medicamina etiam præfatis modis, vel scilicet sedando archeum, vel abstergendo impuritates à particularibus visceribus, operantur, quamquam in specie unum quodque peculiare membrum, seu morbum respiciat.

Uterius sumpta differentia medicamentorum à formâ, aliud dicitur aqua, aliud spiritus, aliud oleum, quinta essentia, tinctura, extractum, flos, magisterium, balsamum, clyffus, fæcula, elixir, sal, vitriolum, &c. quæ juxta corporum tractandorum differentiam educuntur, ut infra patebit. Nos ergo ea quæ practicâ operatione, & observatione comperta habemus, quò usque vires sufficient, demonstrabimus.

CAP. III.

De Materiâ circa quam versatur Chymia, ut medicamina educat.

EXposuimus huc usque omnium instrumentorum supelletilem, & operationes recensuimus Chymico ministerio pernecessarias. Nunc

præponamus, oportet materiam circa quam Chymia versatur, à quâ scilicet mediis tam instrumentis, quam operationibus suos producit effectus, & præcipuè medicamina, de quibus propriè hic agimus.

Corpora igitur naturalia, quæ in terræ sinu successivis generationum periodis obnoxia sunt materiam esse à spagyricâ facultate tractabilem, nemo est qui ambigit. Constat namque ex sacris creasse *Altissimum de Terrâ medicinam*; non igitur nisi in terrâ ea inquirenda erit. Præterquam quòd omnia quæ ad alterabilis hujusce vitæ sustentamentum necessaria sunt, non nisi è terrâ prodeunt; è terrâ etiam quidquid valet contra morbosum, petendum.

Triplici autem differentia distinguimus omnia naturæ corpora à Chymicâ facultate tractabilia. Alia n. sunt vegetabilia, alia mineralia, alia verò animalia; à quibus veluti à triplici regno universa generabilia, & corruptibilia corporum monarchiâ comprehenditur.

Et quidem sub vegetabilium Regno continentur omnia, quæ vel vegetabilia sunt, vel à vegetabilibus producuntur, ut herbæ, arbores, ligna, fungi, cortices, aromata, gummata, flores, fructus, &c.

Sub mineralium verò Regno subduntur metalla omnia, sive perfecta, sive imperfecta, & ea, quæ ex metallis dependent, seu cum metallis generantur in mineris, ut antimonium, marchasita, lithargyrium, auripigmentum, arsenicum, sulphur, tutia, vitriolum, alumen, & similia. Lapidés etiam, & omnes eorum species, ut gemmæ, uniones, corallia, &c.

etiam

etiam sub mineralium Regno continentur.

Sub animalium demum Regno subjiciuntur animalia tam perfecta, quam imperfecta, & quæ ad eorum partes tam fluidas, quam solidas attingunt, ut carnes, ossa, membranae, sanguis, excrementa, &c.

Nos igitur juxta hanc corporum naturalium divisionem, & medicaminum tractationem proportionally dividemus. Agentes in presenti libro de iis medicamentis, quæ ex vegetabilibus educi possunt. In sequenti verò de iis, quæ ex mineralibus parantur. In ultimo demum de iis, quæ ex animalibus, & eorum partibus dependent, agemus. Sit ergo

CAP. IV.

De Medicaminibus, quæ ex Vegetabilibus educuntur.

Primò morbis accommodata remedia è vegetabilium Regno educibilia pertractamus, non ut vulgò solent seplax ea simul miscere, atque offam conflando ex pluribus simplicibus, ut in formâ syrupi, confectionis, pulveris, vel pilularum, aut simili alia larua languentibus exhibeant; sed tantum delicatiori modo ea tractantes, ex illis puram, homogeneam, spirituosam substantiam, essentialem ab impura facultate, materiali, inutili, ut s. puriora, gratiora, atque efficaciora parare valeamus medicamina.

Purior autem, atque defæcatior vegetabilium pars, dum è materiali

impura separata in medicamentum transit, secundum variam misturam, è quibus educitur, naturam, variam quoque inducit formam, ut salis, spiritus, olei, clyssi, magisterij, &c.

ART. PRIMUS.

Demodo extrahendi essentiam volatilem è vegetabilibus.

Latitare in omnibus vegetabilibus sicut & in aliis naturæ corporibus, substantiam quandam ætheream, spirituosam facultatem omnium, & operationum causam, luculenter lumine naturæ satis, superque demonstravimus; nunc quomodo è corporibus extrahi possit, videndum. Tali namque substantiâ turgente, vegetant plantæ omnes, germinant, florent, fructusque edunt, ea verò fatiscunt, & hæc fatiscunt, ac corrumpuntur, eò quia talis substantia est ipsissima plantarum vita.

At quoniam talis essentialis substantia, dum per ignem è corporibus educitur sub triplici formâ præcipue, ut plurimum ludit, scilicet sub formâ spiritus volatilis, salis volatilis, & salis fixi. Hinc primò agendum de modo extrahendi eam sub formâ spiritus volatilis manentem; ac infra quomodo sub formâ salis, sive fixi, sive volatilis ludens educatur, videndum. Ea namque in hominum usum cedit, tam in alimontiam, quam in medicamentum.

Quam substantiam insipientes Medici, ac Philosophi omnes variis conati sunt decorare speciosis nominibus, ut illam demonstrare, ac significare possent. Aliqui enim spiritum

ritum, alij humidum primigenium, alij calidum innatum, ignem cælestem, balsamum, sulphur, mumiam, Cælum Philosophorum, & similibus nominibus appellavêre; alij quintam essentiam, alij rorem cælestem. Nos verò qui parùm de nominibus solliciti sumus, talem entitatem dicimus esse vegetabilium, sicut etiam omnium corporum vitam, essentiam, seu essentiale constitutivum rerum naturalium.

Volatilis igitur huiusce essentiae extractio è vegetabilibus variè à pluribus traditur. Alij enim extrahunt succos è vegetabilibus, ac fermentare sinunt. Alij ipsa contusa vegetabilia absque succi è facibus separatione fermentant. Rursus alij per mensem, alij hebdomadam volunt fermentari debere. Nos verò compertum habemus non ex omnibus vegetabilibus indifferenter eodem modo, nec eodem tempore fermentationis essentiam volatilem extrahi posse; Sed pro corporum diversitate diversos servari extrahendi modos, nam aliqua essentiam habent in superficie, & levi, vel nullà indigent fermentatione. Quædam in centro, & magnam requirunt. Sicut, & aliqua sunt tenuia, quædam verò densa, & compacta; quomobrem non analogâ operatione, ac modo ex omnibus extrahi potest essentia volatilis. Sic alio modo ex floribus, alio ex herbis, & fructibus, alio ex lignis, alio ex aromatibus, alio ex gummatibus, &c. extrahitur.

Et quidem ex floribus, fructibus, & herbis sequenti methodo volatilis essentia educi potest, nam in his modus extrahendi est idem, solum verò

tempus fermentationis variatur, prout scilicet longo, vel brevi temporis intervallo fermentari exigunt; Flores enim vel nullam, vel minorem fermentationem, quàm fructus, vel herbæ exposcunt. Signum verò jam peractæ fermentationis est sapor acidulus, & odor vinosus.

℥. Flores, herbas, vel fructus ad libitum, contendantur, si virides fuerint, si verò sicca aqua, vel ex eisdem floribus, herbis, vel fructibus destillata, vel defectu huius, communi madefac ad proportionem viridum. Sine per mensem, vel minus pro rei exigentiâ in ventre equino fermentari, ac torculari exprime omnem succum, cui novos flores, vel herbas reasfunde. & iterum per mensem fermenta, ac deinde destilla calore B. nam reddent primò spiritus volatiles, inflammabiles, redolentes naturam ejus, à quo sunt educti, quos si vis rectificas, & usui servas.

Alij cum Paracelso lib. 4. Archidox. ita procedunt in extractione quintæ essentiae ex herbis, & similibus quæ crescentia Paracelsus appellat.

℥. Crescentia contusa perquam optime, quæ ponas in vas aliquod aptum, & hoc in ventrem equinum septimanis quatuor collocetur. Postea destilla per B. iterum ponantur in finum equinum diebus octo, & rursus per M. B. destillentur. Ità ascendit essentia quinta per alembicum, corpus verò manebit in fundo. Si quid essentia quinta restitisset in fundo, putrescat ulterius, & fac ut prius. Accipe tandem aquam destillatam hanc, eamque ad crescens hoc iterum adde, ac ita per pelliculum digerantur simul diebus sex, inde color spissus fiet quem per M. B. abstrahes, & recedet corpus in fundo, quinta essentia remanente in superficie. Hanc separa juxta retortivum processum, alias Pressorium à

facibus, & finito quintam essentiam hanc digeri diebus quatuor.

Alij demum hoc alio modo procedunt.

¶ Herbam succulentam, & recentem à terrâ evulsam cum foliis, & radice, terre, & prelo exprime succum ejus, & phiala impone ad deservendum, ut supra, donec vini saporem, & odorem acquisierit. Destilla lento calore, ut spiritus ascendat per modum aquæ vitæ striae facientis, quæ striae quandiu perdurant, tandiu continuanda est destillatio, evanescentibus autem striae, cessandus est ignis, nè phlegma spiritui misceatur. Qui si forsitan phlegmatis aliquam portionem secum habet, rectificandus est lentissimo igne, donec à phlegmate purus sit, quem cognosces gustu, quia talis spiritus sapit omnino aquam ardentem, & ardet sicut vini spiritus alcoholizatus.

Qui ultimus processus extrahendi essentiam volatilem è vegetabilibus non absimilis videtur, ei quo vinum fit vulgari modo, ac destillatio ferè analoga ei est, quâ fieri solet spiritus vini rectificatus, quinta essentia vini ab aliquibus appellatus, ubi reperies in infimis dolij partibus, ubi talium succorum fermentatio celebrata est, adhærentes fæces, seu tartarum, à quo sal etiam vegetabile, tam volatile, quam fixum admirandis etiam virtutibus præditum, extrahi potest, ut infra dicemus.

Qui tres modi extrahendi essentiam volatilem è vegetabilibus in unum coire videntur, quòd scilicet mediâ fermentatione æstuans spiritus ad materiæ superficiem evocatus mediâ destillatione extrahatur,

sive id fiat contusis vegetabilibus, confusisque simul succo, & facibus, sive expresso prius, ac à facibus separato succo, quæ opus non variant.

Ufus autem hujusce volatilis essentia est in febribus, præsertim malignis, & omnibus morbis per diaphoresim solubilibus; cum namque sit summè diaphoretica talis essentia, & vitæ nostræ balsamum, omnibus consequenter morbis accommodari felici cum successu potest, cum tantum naturam suâ puritate, ac balsamicâ vi confortando, ac sublevando juvet. Est etiam vulnerum balsamum, tam interiùs assumpta, quam exteriùs applicata, omnem namque inhibet corruptionem.

In quâ re notandum non totius corporis essentia extractionem haberi per spiritus volatilis separationem tantum; sed quandoque in facibus, quæ post destillationem remanent, latitat etiam sal essentiale, in quo pars quoque essentia totius mixti conditur: undè non nunquam fæces, quæ remanent, debent comburi, & sal extrahi, modo infra dicendo, ad totalem essentia extractionem ex corporibus.

Alia autem corpora ad vegetabilium regnum attinentia, ut aromata, gummata, ligna, & cætera siccæ naturæ cum essentiam volatilem præfata extrahendi methodo non reddant, sed alia longè diversa, ac sub diversâ etiam formâ, scilicet sub formâ tincturæ, magisterij, clyssi, &c. Hinc omisso eorum examine, in genere ubi de magisteriis tincturis, &c. agemus, eam expendemus, nunquid verò sit

ART. SECUNDUS.

De Sale volatili, sive essentiali è vegetabilibus parando.

LUdit etiam in naturâ sub saliformâ quædam substantia rerum essentialis spiritus, qui tam in natura, quàm in medicinâ mirabilium effectuum est patrator. In naturâ namque est veluti seminum omnium, plantarum, mineralium, & animalium essentiæ, & vitæ fomes, & proximum, purumque alimentum. Nam quò magis terra hujusmodi sale abundat, eò fecundiori generatione in eâ luxuriant generabilia quæcumque corpora, atque feracior redditur. Imò compertum habemus, quòd si terra omni sale aliquo medio artificio privetur, adeò sterilefcit, ut semina, & plantæ minime in ejus sinu germinent, crescantque. Secus verò quò abundantior est sal in ea, eò fertilior redditur. Sic salis beneficio ex fimo vegetabilium corruptione tenus resultantis faginantur arua, dum fimo sterco-rantur. Est namque volatilis, sive feminalis spiritus sedes; undè, qui nimiam ad Venerem propensione, & libidine pruriunt, salaces dicuntur. Repit namque in terræ visceribus hujusmodi sal, ac aquâ solutus, huc illuc dum fertur, varia generare corpora, ac diversimodè transmutari experientia dictat; dum juxta infitorum fermentorum naturam in terrâ varias subit formas. Sic ut alibi diximus in vegetabilium radicibus haustus peculiari plantæ fermento in succum *Lessas* proximum

inchoato plantæ nutrimentum transmutatur. In minerale verò succum proximum mineralium (*Bur* ab *Helmontio* appellatum) alimentum, sive incrementum transmutatur, semel minerali odore tenus fermentatus, ut suo loco uberius diximus. Hæc, & alia in naturâ operatur sal essentialiale, quæ ulterius medicina demonstrat, dum salem istum mirandis virtutibus refertum in morbis depellendis observat, ut in sequentibus patebit.

Undè non immeritò has, & alias intuentes salis operationes Hermetici, & Paracelsistæ, eò ducuntur, ut illum tanquam tertium rerum naturalium principium asserant, ut supra innuimus. Quid ni & ipsam non admirabimur antiquitatem, quæ salis excelsas admirata virtutes, summis laudibus, eum decorare conatur? Nam *Homerus* *divinum* appellat, & *Plato* in *Timeo* *amicum Dei* corpus nuncupat.

Est autem sal in naturâ in duplici præcipuè differentia, quatenus duplici methodo è naturæ corporibus elici potest, licet unica, & homogenea essentia sit utriusque constitutiva. Alius enim est volatilis, alius verò fixus. Et quidem demonstrata in præsentì articulo salis essentialis, & volatilis extrahendi methodo, in sequenti, quomodo fixum educatur, agemus.

In quâ re advertendum, quòd ea vegetabilia, quæ succo magis abundant, majorem salis volatilis copiam reddant, quæ autem ficiora, ac solidiora sunt, salis fixi abundantiora, ac uberius fixum salem, quam volatilem reddunt. Hinc quoniam

ex succo prædictis vegetabilibus major, ac uberior volatilis salis copia elicitur, ut ex herbis, fructibus, &c. Hinc sequenti methodo ex hujusmodi vegetabilibus volatilem sallem extrahes.

℞. Herbas, ex quibus extrahes omnem succum, quem putrefac cum fecibus in vase amplo, & oblongi colli, vel in furno igne digestionis, vel etiam in ventre equino per quindecim, aut viginti dies, pro ut major, vel minor herba durities exergerit. Deinde destilla per MB. quidquid poterit destillare: humiditas destillata iterum infunditur fecibus, & calidè permiscetur, & filtrantur simul, dum calent, ut quidquid est salis simul cum humiditate per filtrum transeat. Depura aquam à subsidentibus fecibus, & ad consumptionem tertiae partis deinde calore B. evapora: Quod superest dein in loco frigido collocandum est, ut sal essentiale in crystallos coëat, quas collige, & serva. Aquam remanentem iterum bullire sinas ad consumptionem tertiae partis, & eodem modo pone in loco frigido, ut crystallizetur sal, sicque procede usque ad omnimodam salis ab ea extractionem, quod conjicitur sapore; nam quandoque extrahitur ad ultimam usque aquae evaporationem, ut clariùs in praxi patet.

Usus hujusmodi salium est quasi in omnibus morbis, ac præsertim in febribus sunt veluti universale præsidium secundum Helmontij sententiam, & ipsam experientiam. De quibus salibus Joan. Petrus Faber lib. 2. Myrothecij spagyrici cap. 2. inquit: Pollent enim summis virtutibus, & in medicinâ faciendâ, beatus est Medicus, qui tales crystallos habet, ut medeatur morbis.

ART. TERTIUS.

Quâ methodo sal fixum è vegetabilibus extrahatur.

EDucitur etiam vi ignis è vegetantibus fixum sal; seu Alkali, ut aiunt Chymici, quia per alkoholizationem ex eis paratur. Est namque hoc sal summarum virtutum plenum, quia in se continet fixum vegetabilium spiritum, sive essentiam, estque corporum tanquam fixa eorum essentiae sedes, ac fundamentum, sive generati corporis conservatio, & fulcrum. In misto autem sal non est, sed fixa, & stabilis ejus essentia, fit verò sal mediâ incineratione, dum tantum in cineribus residuus reperitur. Fit autem hoc modo.

℞. Vegetabilium siccorum q. v. combure, & reduc in cineres albißimos, è quibus cum maximâ quantitate aquae vel ex eisdem vegetabilibus destillata, vel etiam communis, extrahes sal, faciendo lixivium ex cineribus, & aqua, quae cum hypostasim deposuerit, per inclinationem separetur lixivium clarum à subsidentibus cineribus, lixivium si opus fuerit, depura pluribus filtrationibus mediis; dein aquam lento igne evapora, & reperies in fundo vasis sal, quod serva ad usus varios ut infra.

Verum hujusmodi salis extractio tunc fit, præcipue quando simul cum eo conjungenda est etiam volatilis vegetabilium essentia, ut infra; nam si absolutum ægris propinate voveris; saporem lixivij habet, licet etiam aptum sit medicamentum, ita præparatum.

Hinc

Hinc alij, ut saporem lixiviale ab eo adimant, recipiunt cineres modo suprà dicto factos, ac iterum cum sulphuris æquali parte calcinationi exponunt ad totalem usque incinerationem, dein etiam suprà allato modo sal extrahunt, ac usui servant, sic enim saporem lixiviale non habet.

Habent hujusmodi salia vim laxativam, nam humores quoscunque compactos à ventriculo, & intestinis abstergunt, incidunt, resolvunt; undè omnibus ferè ventriculi, & intestinorum morbis sunt accommodata remedia, ut cholera, dysenteria, colica, sed præcipuè obstructionibus omnibus hypochondriacis curandis summâ cum utilitate, & lenitate valent. Omnibus ventriculi indigestionibus præsertim acidis, nec non fami præternaturali ex acido humore ibi stagnante oriundæ præsentaneum habemus expertum medicamentum; undè prægnantibus, quibus periculosa est aliorum medicamentorum administratio ob abortus periculum summâ cum securitate administrari hujusmodi salia poterunt, dum a ventriculi variis tentantur affectionibus, aliàs clamorissimis.

Possunt exhiberi, vel cum aliquo jusculo, vel absolutè. Dosi à gr. x. ad ʒj. ß, magis, vel minus juxta corporis habitum.

Adverte tamen, quòd cum jusculo aliquo sal alkali exhibetur; oportet abstinere hujusmodi sales, cum jusculis, sive vehiculis acidis misceri; nam hujusmodi salium proprium est acidus præcipitare succos, eorumque acores corrigere, à quibus

omnium fermentorum morbosorum fomes pendet: hinc alkali dum cum acido jusculo suas eferunt actiones, redduntur deinde inefficaces, ac nullius activitatis participes. Id mihi apud Galenistam videre contigit, qui ægroto icteritiâ laboranti per plures auras salis absynth. fixi ʒj. in limonum succo absque languentis levamine exhibuit. Hinc præsentaneum eruitur medicamentum ad dentium stupiditatem ex acido proveniente, ut alkali perfricentur dentes,

ART. QUARTUS.

De Essentia Menthae.

EGimus suprà quomodo vegetabilium essentia aliàs homogenea vi ignis sub triplici diversâ substantiâ, spiritus scilicet, & salis, tum fixi, tum volatilis ludens extrahatur; Nunc pro completâ rei notione videndum, quomodo ex illorum mutuâ unione unica præparetur, velut totalis vegetabilium essentia.

Verum quoniam varia est essentiarum extrahendi methodus pro diversitate corporum, ex quibus extrahitur; nam alia sunt succolenta, alia sicca, alia gummosa, alia lignosa, &c. Hinc in primis ex succolentis totalis essentia extractio fieri num possit videndum, inferius agentes de aliis; Et primò quidem exordium sumimus ab essentiâ menthae, quæ sequenti methodo fit.

M. Mentha mense Julij collecta quantum vis, ex quâ per expressionem extrahetur succum in maximâ copiâ, fermenta per xx. dies in ventre equino. Deindè destilla leni

to igne cinerum, donec stria cessent, hoc enim est signum, quod cognosci potest spiritum ascendisse omnem, quem ter vel quater lentissimo ignis calore rectificat, donec ab omni phlegmate vindicetur. Dein ex magmate residuo per fermentationem salelem volatilem extrahe, ut supra diximus, ac demum ex subsidentibus facibus, & alia mentha prius sicca per combustionem salelem extrahe fixum conjunge omnia simul, & serva.

Alij alio modo ex mentha sicut etiam ex similibus alijs herbis odoriferis extrahunt essentiam, ut.

℞. Mentha q. v. putrefac per xx. dies, prius tamen optime contusa, ut supra, destilla, ut spiritum supra dicto modo extrahas, quem rectificatum residuo magneti pluries affusum digere, & destilla. Poteris loco spiritus menthae, etiam uti spiritu vini rectificato ad supereminentiam iv. vel v. digitorum magneti imposito. Digere per iv. aut v. dies in cineribus, aut B. repido, deinde destilla, donec stria cessent: separa phlegma, rectificando spiritum, quem iterum magneti residuo reasfunde, & digere per ij. aut iij. alios dies, & destillabis supra dicto modo, quam digestionem, & destillationem multoties reiterabis, separato phlegmate in singulis destillationibus, donec sal volatile ascendat, quem serva, ut cum spiritu conjungas.

Deinde oleum per descensum ex alia mentha copia extrahe ita.

℞. Mentham siccam in maximâ quantitate, quam immitte in vas terreum, aut in vesicam cupream ad collam usque & comprimes, ut majorem copiam vas capiat, quantum fieri poterit: tum demum linteo madido collum vasis cooperies, altudque vas fictile vitreatum vacuum, sed solum aqua fontana perlimpida semiplenum submittes, & conjunges alterum, alteri, ita ut

os vasis pleni mentha subintret os alterius vasis aqua fontana semipleni, & sic unita vasa, juncturis peroptime lutatis, in terram sepelias, facta fovea, donec vas aqua semiplenum totum cooperiatur, & plenum mentha usque ad medietatem etiam sepeliatur, terra, vel arena undequaque supposita. Deinde coronam lapidum fac instar putei osculi circa vas mentha plenum, donec vas aequent altitudine, in medio corona stans: hanc coronam carbonibus ardentibus reple, ac etiam lignis impositis, ignem per v. aut vj. horas continuando. Urge dein ulterius ignem quod ad fieri poterit per iij. aut iv. alias horas. Demum frig. factis vasis, & sejunctis separabis oleum ab aqua per infundibulum. Hoc oleum deinde rectificat in retorta, cum paucis vitriolo ad rubedinem calcinato, ter, vel quater, singulis vicibus mutato vitriolo. Deinde huic oleo rectificato, & ab omni empyreumate vindicato, immitte nova folia menthae, & expone in solationi per aliquot dies; vase opt. obturato deinde his expressis folijs, & oleo omni opt. emunctis, nova folia oleo immitte, & iterum in solationi expone, ac exprime praefato modo, iterando immissionem, & expressionem ter, vel quater, donec oleum fragrantissimum mentha odorem acquisiverit. Huic oleo deinde immitte spiritum, & sal tam volatile, quam fixum extractum, tam ab omni residuo magmate, quam ab alia nova mentha. Digere per iij. dies, & serva in phiolis per quam optime clausis. Vires, & usus hujus arcani

Primo enim hoc mentha arcanum mirabiliter omnibus ventriculi affectibus resistit, eò quod eum roborat, & ab omnibus vindicet excrementis, quæ ipsum turbare possint. Sic statim singultus, vomitiones, choleras, Bandephiam, Apephiam, &c. tollit efficaciter. Secundo, lum-

lumbricos omnes, & ventris tineas teretes enecat, tam assumptum, quam externa ventris perunctione. Tertio, capitis dolores fere omnes, qui per consensum à ventriculo foventur, mulcet, & curat. Quarto rabidorum canum moribus tuto succurrit, si recens vulnus eo arcano lavetur, & imposito gossipio eo arcano madido per aliquod tempus madesiat. Quinto, pestiferis omnibus, & malignis morbis resistit. Demum, tumores omnes duros discutit, & dissolvit, & phlegmones ad suppurationem deducit, atque suo spiritu balsamico pestilens virus in bubone solvit, ac tumorem ad coctionem perducit.

Dosis est, dum interiùs sumitur à ʒi ad j. in aqua cinnam. anis. fenic. & similibus.

Non hic prætereundum, quod non tantum in essentiam redacta mentha multis medetur morbis; verum etiam lac coire, densarique in caseum non patitur, si folia lactis potionibus immergantur: at si in coagulatum lac ejus succi aliquot guttas instilles, statim solvitur, & in pristinam reddit formam. Ex hoc experimento habetur, quod quoties lac in mammis caseosam nanciscatur coagulationem, corrumpitur, ac inflammationem accersit, tumorem, & apostemationem indubiè parit; aptissimum, & præsentaneum remedium est, si menthæ succo mammae foveantur, Item si in infantium ventriculis lac caseoscat, quod ex adstrictâ alvo, inappetentiâ, & vomitionibus conjectari oportet; eodem menthæ succo, vel ejus syrupo succurres. Si verò febres, in somno

pavores, vigiliæ, ventris tormina, alui fluxus (præterquam dentitionis tempore) patiantur infantes; à corrupto lacte ortum ducant, oportet: tunc omnibus his morbosus affectionibus rosaceo saccharo felici cum successu succurrendum est.

ART. QUINTUS.

De Essentiâ Tithymalorum, sive Esulæ.

OMnia tithymalorum genera, esulam indifferenter aromatarij appellant, quæque maximam purgandi vim obtinent ob maximum virus laxativum, quo scatent; verum propter crudum lacticinium succum, quem continent, inter venena censentur, qui tamen, si mediâ coctione in essentiam redigatur, in mira transit medicamenta cathartica perfectioribus donata dotibus, eorum quæ magno sumptu ab Oriente, Arabia, aliisque longis terræ plagis in nostras asportant regiones mercatores; non eò enim injuria nobis erit natura ut non nisi è dissitis regionibus petitis remediis morbi nostrates curarentur: latent etiam in nostratibus herbis, adhuc summæ virtutis arcana, ac præ cæteris in Tithymalis conditur essentia omnium fere vulgò incurabilium morborum curativa, quæ sequenti modo extrahitur.

℞. Tithymalorum maximam quantitatem, sicca, & combure, ac præfata methodo generali salem extrahere ex cineribus, quem serva. Deinde ex alia tithymalorum quantitate exprime succum, qui dividendus est in duas partes, ex quarum una prædicta etiam aliâ methodo extrahere sal

vola.

volatile, ex alterâ verè elice spiritum volatilem, ut supra etiam diximus; In hoc spiritu deinde solue, & septies destilla invicem. Cui destillato conjungendum est purum sal illud fixum, quod reservasti ex cineribus tithymalorum extractum, & omnia simul miscendo vase vitreo reserva, optimè clauso, cui si vis, adde parum spiritus rosarum gut. ij. vel iij.

Ufus hujus arcani est in omnibus morbis, qui purgatione indigent; nam corpus in summam puritatis entelechiam restituit, sanguinem mundificando, atque essentiam humani corporis in vigore suo, & virtute mirificè conservando.

Dosis hujus medicamenti est à ℥ss. usque ad jss. in jusculis, aq. cinnam. & similibus.

Tithymali succum absque præviâ præparatione in aridas ficos ad ternas, quaternasve guttas instillant aliqui, ut cum his inarescant, quas ad usum recondunt binas tamen, quaternasve ficos purgationis gratia sumpsisse satis est, cum validissimè, indiscriminatimque deiciant. Undè rusticorum medicamenti meritò nomen sibi ascivit.

ART. SEXTUS.

De Essentiâ Sambuci, & Ebuli.

DUplex parari potest arcanum ex Sambucis, unum quidem ex fructibus, alterum verò ex totâ plantâ.

Et quidem ex fructibus sambuci perfectè maturis parari potest medicamen specificum uterinum secundum Quercetani, & Fabri sententiam hoc pacto.

℥. Granor. sambuci q. v. contunde, & pralo exprime succum, quem in vasis vitreis mundis repone, aut ad siccandum in calore solis, vel in B. vel simile calore tepido pone ad leniter destillandum, ut quidquid est humiditatis superflua inde exhalet. Servetur magma, ex quo parari possunt pilula gr. xv. vel xx. ad usum, qua dosi, si exhibetur suffocatione matricis laboranti, illicò sublevatur.

Ex totâ autem plantâ non absterili modo, ac supra diximus de extractione aliarum essentiarum etiam parari potest essentia, cum hac tamen animadversione, quod sal fixum extrahi potest tam ex foliis, quam etiam ex lignosâ parte sambuci; sal verò essenziale volatile, & spiritus ex floribus, sive fructibus, & foliis simul contusis, & expressis, ut in generali methodo diximus.

Cujus essentia vires, & usus valent præcipuè ad calorem nativum fovendum, ac ad augendum, unde mirificè à morbis præservat.

Febres omnes, & præcipuè intermittentes curat, eò quia corpus ad quartam usque digestionem è sordibus purgat, mundat, abstergit, tam per diaphoresim, quam per vias urinæ, & sanguinem suo sale purgat, vivificat, ac à corruptione præservat.

Podagram etiam, & chiragram, & omnem articulorum dolorem solatur, eò quod fluentes humores soluit, fluxiones corrigit, ac amplius fluere non permittit.

Suffocationem, & omnes uteri affectiones efficaciter curat, purgatq; omnem humorum extraneorum, seu retentorum excrementorum illuviem à stomacho, intestinis, & utero.

Hy-

Hydropicos, præsertim leucophlegmaticos, leprososque perquam optimè evacuat; salem enim omnem excrementosum, corruptumque corrigit, atque foras expellit.

Acut omnes sensus, ac præsertim visus imbecillitati succurrit, quia vitæ spiritum, cuius hæ sunt functiones, detrusis foras serosis, aliisque excrementosis humoribus, ad suam summam puritatis formam restituit.

Sumitur in Jusculis mane jejuno stomacho ad quantitatem ʒj. vel ij. salubri tamen servato victus regimine, per tres auroras continuando, & deindè intermittendo, & iterum repetendo, post decem, aut quindecim dies, si infirmitas non adhuc perfectè fuerit curata.

Ebuli autem essentia eadem methodo etiam fit, ac sambuci, ac aliorum vegetabilium succulentorum essentia extrahitur. Illud adverten lo quòd ex fructibus Ebuli, & foliis extrahitur spiritus, & sal volatilis, ex reliquâ autem plantâ, sal alkali, quæ præfata superius methodo invicem miscentur.

Ex fructibus ebuli paratur etiam tinctura, quæ dicitur *essentia granorum chamaeædes*, idest ebuli, paratur autem sequenti modo.

℞. Magnam copiam granorum actes, exsiccentur in umbrâ, ponantur in matracio colli longi usque ad medium, superinfunde aquam vitæ, ut per quatuor digitos supernat, adde spiritus vitrioli aliquot guttas, & vase benè obturato fiat digestio in MB. per v. aut vj. dies, quò usque aqua tincturam instar rubini acquirat, separa illam per inclinationem, & in vase vitreo optimè clauso serva.

Est præstantissimum in uteri suffo-
D. Car. Musitani Pyrotechnia.

catione remedium, nam intrò sumptum paulatim erumpentibus sudoribus, & quiescente corpore paroxysmum sistit, & vapores ex ipso corpore per diaphoresim resolutos expellit, & illicò excitabitur. Dosis cochl. ʒ usque ad j.

Colligi autem debet hoc vegetabile autumnii tempore; tunc enim majori essentia quantitate scatet, sicut, & omnes aliæ plantæ, quæ tunc temporis ultimum suscepere incrementum, ac perfectionem: exceptis tamen iis, quæ æstate, vel veris tempore perfectè adultæ sunt, quæque neque ad autumnii usque tempus pètingunt, eæ enim eo tempore, quo ultimum perfectionis terminum suscepere, colligi debent pro essentia extractione.

Ufus autem essentia ebuli est ad omnem Hydropem, sicut Sambuci; nam sæpiùs per intervalla iterando dosim, eam curat, nam omne fermentum corruptivum sanguinis extinguit; corruptum enim degeneratumque alimentum, sicut, & omne aliud excrementum foras pellit. Sumitur etiam per intervalla, nè vires, quæ mediocres, & lenes sunt, pereant. Adaptari etiam potest eadem methodo hypochondriacis, & similibus chronicis affectibus.

Quartanam, & ferè omnes intermittentes febres curat, ità ut vi sua resolutiva tam per diaphoresim, quàm per vias urinae, sicut etiam per alias vias excrementa nostri corporis, à quibus hæc mala foveantur, deturbet, expellatque.

Denum est summum arcanum in arthritide; nam omnes ejus dolores citissimè ledat, si cum gossipio eo

arcano madido, partes dolentes tepide foveantur, nam suâ vi, & balsamico sale, tam infitos articularum spiritus recreat, quam excrementa resolvit.

Dosis est à 3ß. usque ad j. in robustioribus naturis; sumitur similiter in jusculis, ovis forbilibus, aquâ cinnam. vel formatur in pillulas, vel in tabellas, &c.

ART. SEPTIMUS.

De aliis vegetabilium succulentorum Essentiis.

Prolixum nimis esset per vegetabilium succulentorum essentias hîc sigillatim excurrere, vanusque esset omnis laborum sumptus, cum analogâ extrahendi methodus omnibus ferè succulentis vegetabilibus competat, atque adeò ex unius descriptione facîle cæterarum præparationes addisci possunt, magis verò nobiles, & præcipuas nostratium plantarum describam essentias, ut pateat non minùs è diffitis regionibus adductis simplicibus, quàm nostratibus morbos curari posse.

Et quidem primò ex *Cucumere agrestis*, & *Bryonia* summum purgans medicamentum præstantioribus donatum viribus scammonio, cæterisque aromataria purgantibus, paratur & quidem scholæ Sectariorum *Galenî* succum cucumeris agrestis, (quem *Elaterium* vocant) tanquam venenum esibitant, quo deinde utuntur tanquam in desperatis morbis, & præcipuè cum eo hydropicos à serosis humoribus sæpè sapius purgant; nam violenta actione educendi

hujusmodi serosos humores, pollet, à quibus hydrops occasionaliter fovetur.

Verùm si arte spagyricâ tractetur hoc vegetabile & ex eo essentia educatur, in summum transit arcanum, methodus tamen ex eo essentiam extrahendi non absimilis est supra allatis; extrahitur namque ex hujus succo sal, & spiritus volatilis; ex totâ autem plantâ optimè calcinata, sal fixum, & purissimum, quæ simul uniuntur, & habebis summum arcanum.

Cujus præcipuè vires, & usus, sunt ad crudos serosos humores ex visceribus educendos, ideòque ad hydropicos curandos præcipuè commendatur. Quartanam febrem quarta potione curat cum occasionalis ejus causæ ablatione, seu evacuatione.

Fædos virginum colores, præsertim ex abolitis, vel diminutis menstruis ortis, curat, ac sanguinem ab omni labe purificat, menstruasque purgationes cit hoc medicamentum.

Anhelosis, & asthmatis humido summo cum juvamine subvenit, eò quòd catarrhosas omnes materias educat, & siccat tumentia serosis humoribus pulmonum bronchia.

Omnibus demùm morbis ex degeneratis, aut crudis nutrimentis, sive retentis excrementis subvenit, unde tumoribus omnibus duris illinctu succurrit, eosque discutit, podagram omnem, & quemcumque arthridis dolorem etiam curat, tum interiùs, tum exteriùs administratum.

Sumitur à quantitate 3ß. ad 3j. in jusculis, &c. exteriùs autem cum applicatur, cave ut id, & similia alia
Chy-

Chymica magisteria, nè excalefacias, nam leniusculo quocumque tempore subtilissima ejus pars summè efficax evolat, sed frigida uti sunt, applica.

Ex *Bryonia* etiam *essentia* simili modo extrahi potest, quæ valet ad eosdem ferè affectus, ad quod valet cucumer agrestis.

Vulgò autem ex ejus radice *fecula* præparatur, quæ in singulare transit uteri mundificativum, undè omnibus ferè uterinis affectibus, præsertim ex retentis menstruis mirificè succurrit. Modus autem *faculam* parandi talis est.

℞. *Rasuram radicum Bryonia minutim incisæ, & contusæ, pone in sacculo lineo, & omnem succum extrahe pralo, quem pone in vase, ut deponat faeces, quæ spatio duorum dierum fundum vasis petent, decanta aquam ad instar feri lactis supernatantem, sex ponatur in vasis vitreis, ut veluti clyssi ad instar in umbra siccat.*

Dosis est gr. x. cum pauco castoreo, vel *assafetida* exhibita. Valet ad omnes uteri suffocationes, ut suprà diximus.

Præsentaneum etiam remedium ex *rasura radicum Bryonia* habemus ad omnes tumores occasione contusionis ortos; nam omnes livores, & *sugillationes*, ex coagulato sanguine ortas infra 24. horarum spatium curat, resolvendo sanguinem in aqueum humorem, eumque ità resolutum per poros educendo.

Non absimili modo *Bryoniæ succus* *varices* curat, experimentum feci in Illustri Equite N. N. viro incomparabili, qui varicem in crure patiebatur, & per nimium dolorem partem cruciantem ei domo non lice-

bat exire, undè vocati, primò Chirurgus, dein Physicus ordinarius, primus *gallina axungiam*, secundus *amygdalar. dulc. ol.* tanquàm arcana ut, parti imponeret, ei præceperunt: Sed cautus Eques perpendens se potius noxam, quàm juvamen ex relaxantibus percepturum, utrumque Galenistarum ludificavit medicamentum. Meum accersivit consilium, ut ejus morbo aliquod medicamentum melioris notæ, axungia, & oleo, succurreret. Post varicum assignatas causas, signa, & prognosim, ad curam deveni, ad quam necessarium erat medicamentum, quod sanguinem nimis crassum in venæ corpore, quasi in gurgite stagnantem, fluxilem redderet, dein venam dilatatam corrugaret, pristinoque restitueret statui. Præscripsi *Bryonia succum*, (ad acutiem infrigendam) cum *terra sigillata*, & *fenugraco* ad mollem consistentiam, ut parti imponeret, & intra paucas horas sanitatis statu potitus, domo exilivit.

Decoctum ejus ischiadicum dolorem solatur per chlysteres injectum, terna, vel quaterna vice usque quò in evacuatione sanguinis aliqualis appareat tinctura.

Dosis radicum pro infusione sit ʒijß. & sensim crescat pro ægri sufferentia. Tempus infusionis sit 24. horarum.

Simili etiam methodo ex *Brassicâ marinâ*, *Helleboro*, *Colocynthide*, aliisque similibus vegetabilibus parari possunt *essentiæ*, quæ similibus pollent purgandi viribus, ac *Bryonia*, & *cucumer agrestis*.

ART. OCTAVUS.

De Essentiis ex siccis vegetabilibus extractis, sive de Extractis.

Siccorum vegetabilium essentia, extracta communiter vocantur, quæ non nisi convenienti imprægnata liquore, longa quæ ac iterata media maceratione essentiam sub extracti forma exhibent; educitur namque ex huiusmodi siccis corporibus tantum tinctura spirituosâ cum sale fixo mediis iteratis liquoris imprægnationibus, macerationibus, decantationibus, & destillationibus: quod autem in fundo remanet, est extractum, sive siccorum vegetabilium essentia.

Diversus autem debet esse liquor, quo fit extractum pro diversitate corporis, à quo parari debet essentia; alia enim aqua communi vini spiritu imprægnata, sive ex eisdem vegetabilibus destillata, alia vino, alia vini spiritu, alia majali rore etiam destillato, imprægnantur, macerantur, &c. ut essentiam reddant in forma extracti.

Rursus extracta alia formæ sunt liquidæ, alia duræ; liquida extracta sunt, quæ mellis, vel syrupi adinstar, quæque non omni humiditate privantur media destillatione, quia scilicet magnam essentialis spiritus partem amitterent, si usque ad eorum substantiæ exsiccationem destillarentur, Dura verò sunt, quæ prorsus omni humiditate privata in duram usque formam rediguntur. Ad liquidam formam reducuntur ea extracta, quæ à benignis, atque bal-

samicis eliciuntur simplicibus, quæque assumpta suo volatili spiritu vitam recreant, ac solantur. Ad duram verò formam ea rediguntur, quæ naturæ nostræ nimis infensa, atque deleteria sunt, quæque suo spiritu abundantia, vitam nimia agitatione turbarent, fatigarentque Primi generis extracta ab omnibus confortantibus vegetabilibus educuntur, ut è cinnamomo, caryophyllis, rore marino, santalis, aloë, & similibus benignis purgantibus, ut rhabarbaro, agarico, rosis, sena, & similibus. Secundi generis extracta parari debent ex omnibus vegetabilibus, sive nimis narcoticis, ut opio, hyoscyamo, &c. vel ex purgantibus, quæ sua volatilis spiritus nimietate vitam insolenti motu agitant, perturbarentque, adeoque ut aliquo modo ciarentur, eorum extracta media exsiccatione nimio volatili spiritu privantur, sic durum ex Helleboro, elaterio, esulâ, Bryoniâ, & similibus educitur extractum.

Demum alia extracta simplicia sunt, quæ ex uno simplici vegetabili educuntur, alia composita, quæ ex pluribus simul vegetabilibus parantur, eodem tamen servato extrahendi modo in compositis, ac in simplicibus, ut infra.

Mihi autem usitata magis extracta, longiorique usu comprobata, tandem huc adducere placet, alia tum per analogiam cum adducendis, tum apud varios auctores, qui vult addiscere poterit. Sit igitur primò.

Extracti Rhabarbari descriptio.

SI Rhabarbarum, sicut, & alia vegetabilia, viride, & succip'enum ha-

haberi posset in nostris hisce regionibus, non absimili methodo, ac supra de extractione essentiae ex viridibus vegetabilibus, extrahi posset praestantissimum medicamen, sed cum non nisi siccum, & omni succulentâ substantiâ emunctum in nostras regiones asportetur, mutanda consequenter erit ejus essentiae extrahendi methodus, ut

℞. Rhab. opt. q. v. tere & immitte in aquam roris majalis destillati ter, vel quater, ad supereminentiam quatuor digitorum. Pone in digestionem cinerum tepidorum per iv. aut v. dies, donec tota aqua opt. in colorem rubicundum tingatur: separa tinctam hanc aquam per decantationem, cavendo, ne ejus limpiditas perturbetur. Iterum aliam aquam novam infunde, digere, & decanta, ut supra, donec non amplius tingatur aqua à magmate rhabarbari residuo. Deinde magma omni tinctura privatum combure, & in cineres albiss. reduc, ex quibus saltem extrahe fixum, quem tinctura misce. Deinde destilla lentissimo igne, donec omne humidum ascendant, & magma residuum maneat liquidum veluti mel, vel Butyrum, in quo gradu distillandum est à destillatione, advertendo, ne inter destillandum magma, sive extractum, quod in fundo alembici residet nimis a humoris inopia, & violentia ignis comburatur, & empyreuma redoleat, & habebis extractum, cui si vis, addere poteris gr. aliquot scammonij, spiritus vitrioli dissoluti.

Vires hujus extracti multae sunt, nam in primis innocens est medicamentum purgans, in obstructionibus efficax, omnesque affectus ab obstructione factos curat. Hinc aquam intercutem, regium morbum, lienis, vel hepatis tumores,

diuturnasque febres per intervalla assumptum sanat.

Vermes infantium enecat, unde propter ejus benignitatem pueris etiam propinari potest.

Dysenteriae, cholerae, aliisque alui fluxibus etiam offerri potest, si cum croco Martis, aut terra exanimata vitrioli exhibeatur.

Datur etiam ab alto devolutis, ruptisque tam internè, quam externè, quibus, ut majori cum juvamento offeratur, essentia mumiae addi potest. Ad hunc effectum vulgares Medici utuntur Mesues pulveribus absque ulla præparatione, qui ex rhabarbari 3j. boli armeni Orientalis ʒj. rubiae tinctorum gr. xv. constant.

Dosis est ʒj. usque ad ij. in pueris verò à ʒj. ad ij. cum syr. aquis stillicitiis, juribusque morbo convenientibus.

Advertendum tamen in harum essentiarum, sive extractorum præparatione, quòd quandoque dum destillatur aqua, quâ mediante extracta est è vegetabilibus tinctura, destillat oleosa quaedam substantia, simul cum aquâ, quæ cum tritorio, etiam separari debet, & cum tincturâ, sive extracto misceri.

Extracti Agarici descriptio.

Agaricum fungus arboreus est, adeoque exuccum etiam convegetabili vivens vita, sicut & succo nutritur arboris, cui adhæret, compactioris naturæ habens essentiam, ac rharbarbarum; exposcit ideoque aliam methodum parandi extractum, ac supra diximus, ut

℞. Agarici q. v. tere, & diss. in spir.

ros. pallid. vel hujus defectu, rore majali spiritu vini alcoholizato ad medietatem impregnato, & in vitro opt. clauso, vel in cineribus tepidis, vel in ventre equino pone ad digerendum per mensem, quo transacto tempore, per decantationem spiritum clarum, ac limpidum à faeculentia agarici materia elice, quem custodi in vitro opt. clauso, magmati verò residuo alium affunde spiritum, & eodem modo per viij. dies digere, decanta, & serva. Ex residuo deinde magmate per combustionem salem extrahe fixum, & cum servato spiritu conjunge, & sensim lento B. calore destilla, donec, vel syr. non benè cocti, vel mellis consistentiam habeat, cui adde ol. cinnam. vel caryophyll. ad saporis conciliationem.

Poteris etiam servare aquam, vel spiritum inde destillatum ad similes extrahendas essentias ex catharticiis aliis medicamentis siccis, ut è senâ, scam. &c.

Ufus hujus extracti est ad omnes crassos, lentos, & quoscumque alios humores evacuandos ab omnibus nostri corporis partibus. Datur etiam summo cum juvamine omnibus quibuscumque pectoris affectibus, præsertim asthmaticis humidis, & sanguinem extusientibus.

Urinam quoque pellit, & menses commodè promovet, ventris tineas enecat, &c.

Dosis est ʒj. usque ad ij. in jusculis, syr. & similibus.

Extractum Senæ.

IN Hetruriâ, quia *senâ* recens, & succolenta habetur, servanda est methodus eadem, ac supra diximus de extractione vegetabilium succulentorum scilicet ut extrahatur spi-

ritus, sal volatile, & fixum; at quia ad nostram regionem ut plurimum sicca, & arida ejus asportantur folia, ejus extractum non ab simili modo ac rhabarbari extractum per infusionem s. senæ in rore majali destillato, ut supra diximus, parabimus: Unum advertendo, quòd digestionis tempus debet esse longius, ut in rhabarbaro diximus ad xv. vel xx. dies, sena enim non tam facilè tincturam reddit, ac rhabarbarum, indiget ergò majoris digestionis tempore, ut eam reddat.

Cui extracto ad mellis consistentiam redacto oleum per descensum ex eadem senâ extractum, & sal fixum m. Oleum enim per descensum eodem modo, ac diximus de extractione essentia menthæ eliciendum est, ut ʒ. Fol. sen. lib. 1v. vel. v. & elambico terreo descensorio impone s. a. & destilla fortissimo igne. Ex hac destillatione separabis aquam, qua nullius momenti est, ab oleo, quod binâ, vel ternâ destillatione à vitriolo ad rubedinem calcinato, ab empyreumate vindicandum erit, quod adde priori extracto. Ex omni verò magmate residuo, cineribus factis, sal fixum purum est extrahendum, & similiter extracto addendum, cui adde parum olei cinnam. vel caryophyll. & sic evadet purgans medicamentum gratissimi odoris.

Adverte hic, quòd etiam poteris observare hanc eandem methodum destillationis per descensum in extractione essentiarum ab aliis siccis purgantibus medicamentis, & potentiora evadent.

Pollet iisdem ferè viribus, ac cætera extracta purgantia. Exhibetur à ʒj. ad jß. similiter in jusculis, syr. in formâ pilul.

Ex

Ex quibus extracta parandi modis colligere poteritis similium ficorum vegetabilium (ut sunt ligna, cortices, fungi, fructus, &c.) extrahendi essentias ut ex *myrobolanis*, *colocynthide*, *turbitib.* &c.

ART. NONUS.

Dè Scammonij, Aloës, Guttagambæ, & aliorum concretorum succorum extractu.

HÆc tria vegetabilia succi arboris rei concreti sunt, purganti energia præditi, qui ita crudi sicuti vulgò exhibentur, parum, vel nihil boni per se operantur; ex iis tamen efficaciores, & benigniores essentia arte spagyrica ita parari possunt, & quidem primò ex Scammonio ita parari potest extractum.

℞. Scammonij lib. j. quam succo limonium destillato solue, addendo spiritus Vitrioli ℥ j. vase opt. clauso digere per mensem. Destilla levissimo igne, donec magna residuum ad Syr. consistentiam perveniat, cui destillatam aquam iterum affunde, & digere iterum per viij. dies, filtra, ut à faculentis materiis, quibus scietur scammonium vindicetur, & iterum destilla, donec syr. consistentiam acquirat. Deinde ex novo scammonio ol. per descensoriam distillationem extrahe, separa ab aqua, quam projice, quia nullius est usus, ol. autem ei supernatans ab empyreumate ter, vel quater à vitriolo ad rubedinem calcinato, destillando vindica, & ab residua omni faculentia per incinerationem sal alkali extrahe, quod conjunge cum ol. & extracto superius magmate, & serva ad usus.

Potest exhiberi tanquam tutum, & blandè purgans medicamentum;

nam ventriculum, & intestina non ita urit sicut scammonium non ita præparatum.

Tumores omnes duros exterius applicatum, discutit, ac dissolvit; unde secundum Fabri sententiam Cancros, tam exterius applicatum, quam interius assumptum curat, sicut etiam lepram; si bis in mense co utatur æger.

Dosis est à ℥ss. usque ad j. in formâ pilulari, cum jusculis, syrup. & similibus.

Aloës autem essentia simili modo extrahitur, *destillando scilicet lib. ij. ejus per descensum, ut supra diximus, oleumque destillatum rectificando per distillationem à vitriolo ter, vel quater. Ex cineribus residuis sal extrahendo, & invicem miscendo. Deinde solue aliam aloës lib. in spiritu Vini opt. alkoholizato, digere per xv. dies, vase opt. clauso filtra, & serva. Iterum affunde novum spiritum, & similiter digere per 3. vel 4. dies, filtra, & serva. Deinde lenio B. calore destilla vini spiritum, donec magna mellis consistentiam acquirat, cui conjunge sal. & ol. digere per aliquot dies, & serva, vase opt. clauso, ad usus.*

Vires hujus arcani multæ sunt. Et quidem 1. est summum ulcerum, & vulnerum balsamum. 2. tineas, vermesque omnes infantium enecat, omnemque corruptelam in internis visceribus impedit, & humores p. n. evacuat. 3. est summum febrifugum. 4. Regium morbum curat, &c.

Dosis est à ℥j. ad ij. jejuno stomacho in formâ pilularum, cum jusculis, syrup. &c.

Guttæ gambæ autem extractum similiter paratur *destillando lib. j. per descensum, ut supra diximus de aloë, & sal*

sal fixum ex communi residua face extrahendo, & cum ol. conjungendo. Deinde ex lib. β. dissoluta in phiala vitrea cum spiritu vini, vel spiritu vitrioli ana, solutum succum digero per xv. dies, decanta, & serva. Iterum affunde novum spiritum, & digere per iij. vel iv. alios dies, decanta, & serva, quod itera donec amplius spiritus non tingatur. Deinde lento B. calore destilla spiritum, donec magna relinquantur in consistentiam mellis, quod conjunge cum ol. & sale fixo, & serva.

Viribus ferè similibus pollet, ac cetera purgantia medicamenta, curat namque quartanam, subvenit hydropicis, præsertim leucophegmaticis, pallidisque virginum coloribus, arthriticis, membrorum tremoribus. Cutanea etiam omnia vitia, sive exterius applicatum, sive interius sumptum curat.

Dosis est gr. v. viij. aut xvj. similiter cum syr. &c. ante auroram jejuno stomacho.

Ex quibus colligere poteritis modum, quo ex similibus siccis, concretisque vegetabilium succis extrahi potest essentia, in quibus figillatim describendis hic non moror, cum facile ex suprâ allatis modis id pateat. Colligere item poteritis methodum parandi extracta composita, quæ non absimilis est prædictis; simplicium namque pluralitas non variat extrahendi modum.

ART. DECIMUS.

De Extractionibus essentia ex Floribus, sive De Tincturis.

Tincturæ ab aliquibus appellantur florum essentia; an quia

flores omnes quicquid essentialis spiritus habeant in tinctura conduntur; an verò quia in extima eorum superficie, eorum essentia ludat, ita ut si nimis tales flores inter digitos versentur, statim eorum essentia evolat, remanentque exanimata corpora, omni odore destituta, ut in Gelsimino patet. Mirum tamen in natura est, quòd arte spagyrica omnium florum tinctura auferri possit, absque eo quod substantia corrumpatur, illud accidens ita proprium, & innatum floribus, adeoque substantiam penetrare videtur, ut nulla vi separari possit, quin eorum substantia corruptionem sortiatur: Nihilominus experientia docet hæc ita fieri, ut nullo modo florum substantia lædatur; odore enim solo, & vapore sulphuris, rosæ rubicundissimæ in albißimas statim traseunt, illæsis florum foliis. Rationem hujus spagyrici Philosophi ita tradunt: Rerum omnium colores à sulphure interno, & innato pendent, hoc enim cum sit caloris innati centrum, & fomes, coctiones, & digestiones omnes, humidi alimenti, & radicalis parit, ex coctione autem illa, & digestionem varia, est etiam varia colorum diversitas, sulphuris autem interni rerum omnium, & mineralis summa est cognatio, & affinitas, ita ut unum sulphur sequatur alterius sulphuris substantiam, & magneticè ad invicem trahantur, hinc est, quòd dum substantia sulphuris mineralis liquata, seu in humidam, & aquosam substantiam arte spagyrica redacta, florum corpuscula tenuissima ingreditur, eaque penetrando, alimentitiam substantiam florum, quæ colorem

lorem continet, dissoluit, & secum unit, & sic permiscetur invicem, & color florum transit è corpore suo proprio, & nativo, in homogeneam sulphuris substantiam.

Methodus igitur extrahendi florum essentiam, sive tincturam, cum aliquò modo sit diversa à supradictis, hinc nos peculiari titulo de tincturis, sive florum essentiis extrahendis agimus.

In quâ re illud advertendum videtur, quòd in aliquibus floribus, præsertim purgantibus, purgans virtus non solum manet in superficie, seu in tinctura, sed in spiritu aliquo intrinseco, seu humido radicali à tincturâ diverso, ideò adhuc è purganti energia præditis floribus alio modo, ac ab aliis confortantibus, vel anodynis floribus, paratur tinctura, ut si exempli gratiâ ex *rosis pallidis moschatis* essentiam parare, & elicere volueris non diversa à supradictis methodo servata elicies, ut

℞. Ros. albarum moschatarum q. v. contunde, & exprime succum, quem fermenta, ut extrahas spiritum athereum, cui partem ambra gris. & moschi addere poteris ad odoris suavitatem conciliandam, & habebis summè balsamum cardiacum, medicamentum purgans, quod efficacioribus viribus erit donatum, si salem volatilem, & fixum ab eisdem rosas extractum habes. Vel in dicto spiritu alias rosas albas moschatas addas, iterata ter, vel quater novarum rosarum infusione, à quibus expressum spiritum usui serva.

Est fumennum, & suave catharticum, quod etiam infantulis, mulierculis, aliisque delicatulis hominibus, & magnatibus conveniens. Nam omnibus animi deliquiis est præ-

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

stantissimum medicamen; fatiscientes namque spiritus solo odore recreat, reficitque Uteri suffocationi etiam mirificè confert, tam assumptum, quàm si uteri os perungatur. Hinc apoplecticis, ac vertiginosis summòperè prodest.

Dosis est ab $\mathfrak{z}\beta$. ad j. mane jejunò stomacho.

Hinc simili modo procedere poteris in extractione essentiarum ex aliis purgantibus floribus, ut ex *rosis damascenis*, floribus persici, & similibus purgante facultate præditis, ut non modò tincturam, verùm etiam succum essentialem extrahas, si purgantem eorum essentiam elicere volueris.

Ex aliis autem floribus tantùm confortanti, vel anodyna facultate præditis, tincturam tantum extrahere poteris, in quâ omnis saporis, & odoris grata latet energia. Confortantis tincturæ autem extrahendæ methodus erit, ut

℞. Flor. ros. sic. rubr. mundat. q. v. immitte in phialam vitream, cui infunde ol. seu acetum sulphuris per campanam factum q. s. ad mædorum rosarum omnium cum aqua quantitate, ut sensibilis sit acoris olei sulphuris sapor; phialam probè obturatam, vel insolationi, vel lento simili calori expone per aliquot dies, & per aliquot vices agitabis, ut aqua probè tingatur, tinctam separabis, ac simili modo novum sulphuris ol. & aquam impone, digere, & decanta toties, donec omnem rosarum tincturam elicias, quòd fiet terna, vel quaternaria infusione; nam manebunt rosa alba omni rubro colore privata in fundo, extractam autem tincturam serva ab omni face residua liberam, ut probè limpida niteat, quam vitreo vasi clauso im-

L

nes

nes ad sequentes usus, imponendo aliquot uncias sacchari.

Et quidem 1. Efficax est ferè ad omnes ventriculi defectus, præsertim appetitus dejectioni succurrit, ad sitim præter naturam sedandam, &c. eo quia salios, acresque omnes humores, à quibus talis sovetur sitis, soluit. Undè siticulosus omnibus, & ardentibus febribus summum est solatium. 2. Capitis ferè omnes effectus curat, qui à ventriculo ortum habent. 3. Catarrhos omnes, destillationes, aliasque fluxiones mitigat. Demùm oris etiam ulcera, & aliarum partium curat, &c.

Dosis est ʒß. ad j. similiter in jusculis, syrup. &c. mane jejuno stomacho.

Hinc intelligite non absimili methodo esse procedendum in extractione tincturarum ex aliis floribus, unde tincturam violarum ita parabiris, at melius ex recentibus, quam ex siccis, his priùs à virore quocumque liberatis, ut

℞. Flor. viol. q. v. contunde, & macera in propria aqua, exprime, & depura, affunde ol. sulph. per campanam elicui, vel spiritus vitrioli ad gratam aciditatem, pone in calore leni, donec tinctura voto respondeat, & adde sacchari q. s.

Efficacissimum est medicamentum ad omnes affectus thoracicos. Valet ad compescenda omnia interincendia, ad dolores omnes, & angores, & fluxiones compescendas.

Dosis est ʒß. in jusculis, syr. &c.

Ex floribus *Pæonia* summum efficies medicamentum ad epilepsiam, si tincturam extrahes, præsertim cum vitrioli spiritu rectificato pro sulphuris oleo tantum substituto; nam

vitrioli essentia etiam est epilepsie remedium. Continuatur tamen per mensem integrum mane jejuno stomacho, cujus dosis erit à ʒ. j. usque ad ʒß. in spiritu vini, syrup. jusculis, & similibus.

Poterit etiam hæc alia servari methodus parùm dictis dissimilis in extrahendis florum tincturis, quæ etiam apta est v. g. in floribus *serpentariae*.

℞. Serpentariae majoris flores (qui sunt purpurei, & prægrandes) q. v. tunde, & succum elice in magnâ copîâ, quem vitreo vasi impone cum modico fermento, ut digeratur, deinde destilla calore B. & elicies spiritum æthereum, quem ter, aut quater rectifica lento ignis tepore, deinde hoc mediante spiritu imprægnato cum aliquâ ol. sulphuris portione, ut supra diximus, elice tincturam ex aliis floribus serpentariae methodo prædictâ, cui summè depurata addere poteris salem volatilem, & fixum ejusdem plantæ, & summum habebis arcanum ad magnos usus.

Et quidem 1. Ad ophthalmiam, & nebulas omnes, tam interiùs, quam exteriùs, applicatum. 2. Summum est balsamum ad vulnera, & ulcera omnia, tam simplicia, quam depaupercentia; tam parti applicatum, quam per os assumptum; sanguinem namque suo sale volatili balsamico purificat, & ab omni labe mundat. Unde ad cutis omnes scabrositates, serpiginis, herpes, pforas, &c. tam parti illinctum, quam etiam per os assumptum, valet.

Dosis est à ʒß. ad j. in vehiculis jejuno stomacho continuando per mensem in morbis chronicis; Exteriùs verò applicatur per se solum illineando linteis eo arcano madidis.

Non

Non eadem methodus in extrahendis florum tincturis semper servanda est, sed una quandoque dissimili modo ab alterâ extrahitur, huiusmodi est *papaveris erratici tinctura*, ut

℞. Conf. flor. *papaveris erratici* ℥j. flor. *papaveris erratici* spiritus vitrioli irrorati ℥j. misce, & cum aqua ex sacco prædictorum florum destilla ℥. xxx. extrahatur tinctura rubicundissima, quam postea filtra, & adde syrup. è succo flor. *papav. erratici* parum viriolati ℥ viij. m. & ad usum serva.

Prodest defluxionibus calidis, tenuibus, & acris asperam arteriam, & fauces exasperantibus, insomniæque facientibus: Tussim quoque inde natam; nec non catarrhum, & phthisin sedat, refrigerat, atque somnum conciliat. In pleuritide, & laterum puncturis ad dolorem mitigandum, inflammationem resolvendam, sudoremque eliciendum, est admirabile præsidium. Insuper ad alui profluvium, & dysenteriam excitatam ex affluxu materiæ acris, & biliosæ valdè prodest.

Dosis ab ℥j. ad ℥ij. per se, vel cum vehiculis idoneis.

Ad diversitatem vegetabilium pro eorum tinctura extrahenda, diversa menstrua requiruntur, unde alia quoque methodo, ut in tinctura *absynthij*, quæ tali pacto elicitur.

℞. *Absynthij Romani* probè exsiccati m. j. aque com. vel stillatitiæ ex eodem *absynthio* vulgari modo elicite lib. j. aq. ardentis ℥ ij. digere phiala opt. clausa in Sole per aliquot dies, decanta, & filtra, si vis, & si times à vini spiritu media evaporatione tincturam ab illo libera.

Adverte, quòd si vis potentio-

rem tincturam, & non times à menstruo, adde ℥. o'ei sulphuris. Si tinctura fuerit gustui ingrata, saccharo, vel alia aqua appropriata, vel syr. illam emenda.

Valet pro obstructionibus mirabiliter, ictero, &c. dosis est ℥j.

Diverso modo flores *hyperici* dant tincturam, nam respuunt aquam, ut

℞. Summitatum *Hyperici florentis* pulverizatarum q. v. Macera octiduum in spiritus vini rectificati suff. quantitate, stent in loco tepido, postea filtrentur, & habebis tincturam rubicundissimam *Rubini* instar, saccharo edulcorandam, & ad usum servandam.

Usus In contumacibus affectibus valdè utilis, imbecillitatem, hebetudinem, stupiditatem, torporemque mentis, quantum per artem licet, corrigit, & emendat, omnesque imaginationum affectus feliciter tollit. Morbis etiam renum, & vesicæ prodest, urinam provocat, & menstrua pellit.

Dosis à cochl. iij. ad iv. bis in die, mane ante solis ortum, & vespere eundo cubitum.

Ex bacc. non absimili modo paratur tinctura.

℞. Aq. vite q. suff. granorum *Juniperi* m. ij. contendantur, & macerentur in prædicta aqua diebus iij. coletur, & servetur ad usum.

Quod si efficaciorē, compositamque parare velis hoc modo procedere.

℞. Bacc. *juniperi recent.* & crassiusculè contrunde lib. j. sem. anis. contus. ℥iv. radicis *Angelica* ℥j. lign. *nephritici* ℥β. macis elect. ℥ij. mista infundantur in vini *malvatici* lib. viij. stent in infus. per 14. dies, quotidie aliquoties movendo; Postea

in MB. destillentur, & cum hoc destillato liquore ex Bacc. Junip. tincturam extrahe, ut artu est; quæ deinde filtretur, & parum edulcora, & servetur ad usum.

Ufus. Excalefacit, aperit, attenuat, & discutit. Stomacho utilis. Contra pectoris vitia, tussim, inflationes, tormina, & serpentum ictus efficacissime bibitur. Venenis mirifice adversatur; quare pestilentiam arcet hausta. Calculos quoque è renibus pellit, urinam ciet. Unde ruptis, convulsis, & vulvæ strangu-latui subvenit.

Dosis à cochl. j. ad iij. manè je-juno stomacho.

Non prætereundum illud celebre medicamen, quod ex granis juniperi conficitur, quæ Theriaca Germanorum appellatur, fit enim tali pacto.

℞. Gr. junip. recentia, & matura, in mortario marmoreo conterantur: quibus ad singulas libras aquæ pluvialis destillate lib. iv. superfundantur, & per triduum in loco calido digerantur: postea per pannum colentur, & fortiter exprimantur. Colatura filtretur, exhaletque ad extracti consistentiam; cui saccharum addere poteris.

Datur in colicâ, calculo, suffocatione matricis, mensium suppressioni, defluxionibus frigidis, hydrope. Est etiam præservativum specificum contra pestem, & omnem aërem contagiosum. Dosis 3j.

Efficies elect. pro stomacho, quod Paracelsus proponit in consiliis Medicis consilio primo p. m. 742. si superioris præparationis ad lib. j. addas pulveris zinzib. 3j. macis, & calami aromat. an. 3ij. cubeb. 3j. & missa omnia excipies vitro, quod exquisitè obturatum in sole stet ad mensem unum. Hoc electuarium ad

roborandum stomachum non parùm faciet, si sumatur à pastu.

Ex corticibus quoque extrahitur tinctura; ex cortice Peruviano ita.

℞. Corticis Peruvian. sive chinachinae 3j. f. subtilissimus pulvis, quem injice in vas vitreum superaddendo spiritus vini de-phlegmati lib. 8. Orificium vasis deinde exactissime obturetur, & sepeliatur in ventre equino per. xv. dies, aperiatur tunc vas, & vini spiritum pulcherrimè tinctum à facibus separa per inclinationem, quem serva in vase vitreo opt. clauso.

Ufus. Hac tincturâ tertiana, & quartana non solum citò, tutè, & jucundè curantur; sed febres omnes, quæ à refrigeratione extremorum accessionum initium habent, licet ad perfectam infebricitationem non devenerint. Discant hinc juvenes quàm falsa sit humorum quaternarij doctrina, cum unum, idemque remedium infallibiliter curat quotidianam; tertianam, & quartanam, quas ab humoribus inter se contrariis pendere mendaciter insinuant sectariorum medicorum Grex. Hujusmodi remedia si cognovisset Galenus quia vir erat ingenuus, certè liberos suos igni cremandos tradidisset.

Dosis 3j. in vini generosi 3ij. exhibetur, incipiente paroxysmo. Extincta cum hac tincturâ febre per inferiora purgandum est corpus, ad hoc ut ejus recidiva vitetur.

Medicorum vulgus ad intermittentes febres ita parat hoc specificum per infusionem.

℞. Corticis Peruvian. 3ij 8. f. subtilissimus pulv. qui infundatur per 12. horas antè accessionem in 3. iij. vini albi generosi, & in accessionis initio cum jam

extrema frigent, exhibent infirmo vinum simul cum pulvere.

Dignum est admiratione quod licet post horæ quadrantem hoc medicamen ob ventriculi nauseam vomitu ejiciatur, non propterea infirmus morbi curatione defraudabitur, quod non accideret vomitus, si sub tincturæ forma ægris propinarent.

Ex lignis quoque sua tinctura extrahi potest, ex *sassafras* ita concinabis.

℞. Aq. font. benè coct. & adhuc summe calida lib. viij. lign. sassafras in taleolas tenues incis. ℥ij. stent in infus. per noctem in olla nova vitreata, & benè cooperta; donec per se refrigerant; manè per chartam filtrantur, & colatura clara cum tinctura cassiæ lignæ parum aromatizetur, & ad usum pro potu quotidiano servetur.

Uusus. Catarrhosis, & Arthriticis nectar est: ob ingentem enim siccitatem, & moderatum calorem est remedium excellens ad omnis generis defluxiones, quas radicitus absumit, nec non calculum ejicit. Flatus discutit. Uterum ad conceptionem preparat. Menses provocat. Coctionem juvat. Vomitus cohibet, & alvum subducit. Sed iis qui extenuati sunt, & imbecilibus non convenit.

Dosis propriè non observatur, sed patiens ad libitum bibat, continuando per aliquot septimanas.

Ex radicibus tandem ita paratur tinctura.

℞. Rhabarbari drach. unam pulveriza, & pone in phiala vitrea cum ℥iv. aq. stillatitiæ cichor. vigorata cum aliquot guttulis ol. sulphuris, & vini spiritus, claude phialam, & digere in loco mode-

ratè calido, decanta, & filtra.

Valet non solum ad vermes, sed etiam ad obstructions tollendas. Poteris illam miscere cum syr. ros. pallidarum, vel cum aliquo alio convenienti. Si indiges adstrictione, in tincturam mollem redige, nam pars purgans exhalabit, vel saltem labefactabitur.

Dosis est, si contra vermes vis illam usurpare unum, vel alterum cochlear; Si ad pueros purgandos ℥℥, vel integra, habita ætatis ratione, & virium. Quod si tempus suppetit, melius est purgationem instituere per epygrasim dictam, & sic ℥℥, sufficiet.

Atque ex his descriptis omnibus modis extrahendi tincturas, colligere poteritis methodum, qua aliæ similes in vegetabilium Regno extrahi debent; nam non solum prolixum esset, verum etiam tædiosum sigillatim omnes vegetabilium tincturas perquirere.

ART. UNDECIMUS.

De Extractione Essentia ex gummosis vegetabilibus.

Gummi omnia genera arborum etiam sunt concreta humidi radicalis in arborum corticibus; nam sæpèpiùs vulneratæ arbores gummi reddunt, ac summâ vi balsamicâ pollent, cum magnæ essentialis oleosæ essentiæ in se coërescant quantitatem, idque patet, ex eo quia facillimè ignem concipiunt, ac totæ inflammabiles. Hoc humidum radicale gummatum tribus constat principiis scil. sale, sulphure,

& mercurio, & sunt excrementa istorum trium principiorum, nihilominus alia dicuntur sulphurea excrementa, alia mercurialia, & alia salina, quod aliis prædominetur sulphureum quid, aliis mercuriale, aliis verò salinum. Sulphurea ergo sunt excrementa omnia gummata, cum in his plus sulphuris reperiatur, quàm mercurii, & salis. Sed quia diversam nanciscuntur formam; ideo diversam quoque essentiam, & diversam extrahendi methodum involuere debent. Et quidem primò sit

*Extractionis essentia Terebinthinae
descriptio.*

¶ **T**erebinthina Veneta, & spiritus vini an. lib. j. misce simul. opt. & baculo agita, donec unita sint, deinde phiala vitrea satè ampla impone, ut medietas, vel tertia saltem pars vacua sit, ubi tamdiu agitentur donec in albedinem summam redigantur; tunc reponere in loco frigido, ut hypostasies demittant, ubi supernabit omnibus spiritus vini, deinde sequetur Terebinthina in ol. dissoluta flavi coloris. Ultimò sequetur sal Terebinthinae albiss. coloris; qui separatus, & exsiccatus, cathartica est virtutis; purgatque absque ullo incommodo per inferiora. Spiritum deinde, & ol. post separationem salis m. & digere in B. tepenti vase opt. clauso, nè spiritus exhalet. Deinde destilla igne cinerum servatis gradibus, primò scilicet lentum administrando ignem, donec spiritus vini unà cum spiritu Terebinthinae è phlegmate egressi sint. Tunc augendus est ignis, & mutandum recipiens, quia ol. Terebinthinae egredietur flavi coloris, ubi ignem adaugendo, & continuando, aliud egredietur ol. rubri coloris, quæ duo olea simul

mixta rectificentur, ter vel quater per retortam, magma autem, quod remanet in fundo alembici exime, & contunde subtiliter, cui adde duplam quantitatem respectu ponderis sui, spiritus Terebinthinae, qui in primâ destillatione egressus est simul cum vini spiritu, digere in B. tepenti per xv. dies, ut dissolvatur omnino magma, destilla, destillatum iterum affunde, digere, & destilla, donec ascendat sal volatile Terebinthina, quod ultimò egredietur in formâ mellis coagulati, vel in capitello alembici coagulabitur, aut in fundo recipientis in forma oli. residebit. Ex magmate residuo, si vis sal extrahere fixum, nam minima erit quantitas, poteritque etiam omitti ejus extractio, quoniam Terebinthina, sicut, & cætera gummata minimam fixi salis quantitatem habent, quia eorum substantia tota sulphurea est, & volatilium partium, ideoque inter comburendum tota ferè evanescit. Misce simul omnia, iterum digere per 3. dies. & si opus erit, rectifica, & serva in phialâ opt. clausa.

Vires autem, & usus hujus arcani valent ad multos chronicos depellendos morbos, & quidem

Primò, Diureticum summum est, unde nephritico affectu laborantibus solatium est, nam arenulas, & calculos comminuit, detruditque ac suâ balsamicâ, quâ pollet virtute, renes, aliaque urinalia vasa carminat, solatur, demulcet.

Secundò, Ulceribus, omnibus, tam benignis quam malignis curandis, & glutinandis efficacissimum est balsamum.

Tertiò, In gonorrhæis gallicis percurandis nihil est potentius; suâ namque balsamicâ vi, renes, & omnia vasa à venenatâ luis labe affecta abstergit, purificatque.

Dosis

Dosis est ʒj. in vehiculis appropriatis. Exteriùs applicatur cum gossipio eo madido ad modum balsami.

Terebinthina, absque eo, quod per extractionem in essentiam arte spagiryca redacta sit, aliqui in gonorrhœâ Venereâ utuntur per os assumpta ad quantitatem ʒʒ. quolibet mane jejuno stomacho per sex, vel octo dies, cum pulv. glycyrrhizæ, & sacch. ad formam boli. Alij lavant, sed inscitè faciunt, multum enim sui balsami per lotiones deperdit, fitque ferè inutilis. Latet in terebinthinâ mirabile balsamum, quod in vias urinarias specifica proprietate fertur, illisque balsamicam suam virtutem impertitur, prohibetque ne earum nutrimentum degeneret, corrumpatur, vel fixetur: Undè est quod post assumptam terebinthinam urina, quæ ejicitur, violaceum odorem à longè sensibilem secum ferat. Nonnulli procedunt hoc modo: Terebinthinæ lib. j. concoquunt in aquæ lib. 24. donec odorem amittat, & inspissetur, adeò ut refrigerata digitis in pulv. verti queat, ac vitri modo distillat; Sed ineptè faciunt, cum tota pars essentialis in aquam transeat, remanetque tantum pars inutilis vi balsamica spoliata. Aliqui tandem medicastri propinant terebinthinam crudam in ovo forbili, quod medicaminis genus ferculum nimis ingratum ob olei rosac. defectum à digestivo parum differt. Nos verò in gallicis gonorrhœis utimur terebinthinâ Venetâ illotâ ad quantitatem ʒijʒ. tertio quoque die intra hostiam convoluta aquâ madefactam cum mercurii dul-

cis gr. x. vel xv. in formâ pilulari, cui medicamini nulla gonorrhœa, quantumvis violenta, resistit, movetque duos, vel tres secessus, & urinæ quantitatem. Illicò urinæ acridinem, & in erigendo dolorem tollit, materiæ fluentis colorem immutat, omnia symptomata benigna reddit, & ad octo vices integrè curat fluxum.

Essentia Thuris Extractio.

℥. **T** Huris lib. j. ab omni sorditie munda, media lotionè, tunde, & diss. in alia lib. spiritus vini alcoholizati, aut Terebinthina supra descripti, in amplo vitreo vase opt. obturato digere in B. tepenti aut in fimo equino per xv. dies. Deindè destilla igne cinerum, ut separetur spiritus affusus, iterum affunde digere per 4. dies, & destilla, ut prius affusus spiritus vini, aut Terebinthinæ separetur. Deindè mutato recipiente continuabis ignem, & distillationem donec nihil aliud ascendat. Ex residuo magmate sal extrahere fixum, quod cum ol. m. & serva.

Eisdem ferè habet usus, ac oleum, sive essentia Terebinthinæ, exhibeturque eadem dosi.

Hæc etiam servari poterit methodus extrahendi essentiam ex aliis gummosis vegetabilibus, tam scilicet ex uno simplici gummi, quam ex pluribus simul mistis; ideoque in aliis hic sigillatim describendis non moror.

ART. DECIMUS SECUNDUS.

De Aromaticorum vegetabilium essentia.

S I possent haberi virentia aromata, non absimili methodo ex eis essentia

essentia extraheretur, ac supra de viridibus aliis vegetabilibus diximus; At quoniam ut plurimum sicca ad nostras evehuntur regiones, ideo hic methodum extrahendi essentiam ex eis siccis describimus.

Et quidem aliqui olea essentialia appellant Chymicâ arte extractas aromatum essentias, in quarum extractione diversimodè procedunt.

Et quidem primò aliqui utuntur iteratâ vini generosi, vel aquæ rosæ. &c. spiritu vini imprægnati infusione, digestionem, & destillationem. Alij tantum descensoriâ destillationem, ut suprâ diximus, ut v. g. si ex cinnamomo essentiam parare vis.

℥. Cinnam. elect. q. v. tande grosso modo, & in suff. vini alb. generosi quantitate infunde, & digere per iij. aut iv. dies, & destilla calore M.B. aquam lacteam, quæ destillat, novo cinnam. reasfunde, digere, & destilla, quæ tertiâ vice reiterata, & in ultima destillatione habebis ol. essentielle cinnam. subalbidum, quod separa ab aqua, & vase clauso serva, residuum verò à destillatione cinnam. ure, ut sal fixum extrahas, quod misce cum dicto ol. ad usum.

Alii autem hoc alio modo procedunt in extractione olei essentialis à cinnamomo. ut

℥. Cinnam. q. v. contunde grosso modo, & per descensoriam destillationem supra descriptam ol. elice magno igne, ut comburatur cinnam. oleum extractum reëstificatur destillando illud à vitriolo ad rubedinem calcinato. Deinde affunde illud supra novum optimum cinnam. etiam leviter contusum cum aliquâ portione aquæ cinnam. stillatitiâ optima, & per retortam destilla in M.B. donec totum ol. ascendat, quod cinnam. odorem fragrantissimum

recuperabit cui adde sal extractum ex combusto residuo capite mortuo, & ad usum reserva.

Aliqui tandem in ejusmodi aromaticis essentiis extrahendis, amygdalas, tartarum, aut alia addunt, ut indè majorem olei copiam proliciant, quæ fraus omninò rejicienda est.

At hi duo modi supra dicti essentiam à cinnamomo extrahendi, ambo benè procedunt. Poteris autem aquam servare, quæ etiam eosdem ferè habet usus, ac essentia, licet sit aliquantò debilior essentia, sive oleo cinnamomi.

Hoc verò cinnam. oleum magnos habet usus, & primò quidem summum est vitæ nostræ balsamum, tam interiùs, quàm exteriùs applicatum. Mentes namque mulierum potenter provocat, partum faciliat, cor exhilarat, memoriæ imbecillitati confert. Ventriculûm roborat, venerem stimulat, &c. 2. Etiam exteriùs applicatum est summum vulnèrum, ac ulcerum Balsamum. 3. In animi deliquiis singulare est solatiûm. 4. Virginum pallidos corrigit colores. Demum, summum est sudorificum, unde in febribus ad sudores provocandos tutò potest exhiberi.

Dosis est gut. iij. vel iv. similiter in aqua cinnam. syrûp. ovis forbilibus, &c. exteriùs autem applicatur cum gossipio dicto arcano madido.

Atque ex his collige. 1. Non ab simili methodo esse procedendum in extractione essentiarum ex aliis aromatibus, ut ex nucè myristicâ, caryophyllis, pipere, & similibus aromatibus, nam omnia analogis pollent viribus balsamicis, atque confortantibus.

Collige

Collige 2. Benè posse eandem methodum in quibuscumque aliis, tam simplicibus, quam compositis vegetabilium magisteriis separandis servari, ac in superioribus titulis diximus, ut faciliè cuique sanæ mentis patere potest in praxi, & apud auctores, qui alia describunt vegetabilium arcana quisque videre potest. Verùm pro hujus rei coronide sit

ART. DECIMUS TERTIUS.

De Elixiribus.

MULTÆ aliæ superessent vegetabilium magisteriorum descriptiones, quæ ex multis simul vegetabilibus parari solent à variis auctoribus, ut sunt Elixiria, Balsama, &c. quorum præcipua describam, quibus cætera addisci possunt.

Et quidè primò Elixiria, ea magisteria appellat Paracelsus lib. 8. Archidox. quæ corporis nostri præservativa, seu balsama sunt vitalium omnium viscerum, quæque sunt essentia puritate, calorem vitalem adaugent, fovent, conservant.

Varias autem elixiriorum adducit cit. Paracels. descriptiones, ut salium, balsami, dulcedinis, quintarum essentiarum, subtilitatis, &c. quorum descriptiones vix intelligibiles videntur. Illud tamen præ cæteris varij auctores diversimodè describunt, quod *Proprietatis* dicitur, hujus descriptio Paracelsica sequens est.

℞. Aloës hepat. myrrha, croci an. ʒ ij β. quæ simul in Pellicanum, & in arenam posita mensibus duobus ascendant levissimè. Separa tandè per alembicum ol. à facibus præter adustionem. Ol. hoc unà cum circulato per mensem digeri permitte,

D. Car. Mustani Pyrotechnia,

pondere quidem equali, post serva. Hæc illæ.

Verùm hujus elixiris vires summæ sunt, ac penè incomparabiles, tamen propter circulati defectum non omnibus licet, sed tantùm filiis artis, arcanum hoc præparare.

Alij elixir proprietatis Paracels. hoc modo, quem nunquàm, sicut, & cæteras descriptiones, quæ circumferuntur, somniavit auctor, parant, ut

℞. Aloës, myrrh. & croc. an. p. æ. ponantur in vase vitreo cum paucis spiritibus sulphur. pone in ventre equino spatio xx. dierum, & postea adde q. s. aq. cinnam. & aq. vitæ, & destilla per retortam.

Tamen aliam descriptionem defectu præfati elixiris, mediocrem tamen, ita tradit Helmontius.

℞. Aloës lucidæ, myrrh. opt. & croci opt. an. ʒj. si n. plus sumpseris, frustra id factum reperies. Dico priora terantur accuratè; crocus verò quia non teritur nisi exsiccatus, potius conglobetur tundendo. Ponantur in vitro capacissimo, & forti, sigilleturque liquato collo vitri. Et circuletur moderato calore, nè vas dissiliat, donec videris totam offam in fundo coaluisse, & circulari ol. clarum cum aqua in parietibus vitri. Tum aperiatur collum vitri, & infunde lib. aq. cinnamomi, & destilla per arenam madidam, cui sensim aqua bulliens affundatur. Donec non amplius è rostro alembici quidquam stillet.

Quo medicamine tam quartanam, quam continuam statim curasse fatetur; adeò ut qui noctu susceperat Sacrosanctum Viaticum, & olei extremam unctionem, eum convivam in prandio circa lectum habuisse fertur.

Crollius, & alij aliter ejus præparationem describunt, ut

M

℞.

℞. Myrrha, Aloës epat. & croci Orient. an. ℥iv. pulverisentur omnia diligenter, & in vitrum indantur, humectando opt. spiritu vini alcoholizato, postea affunditur rectificatum ol. sulph. per campanam factum ad eminentiam 4. digitorum, ponatur in digestionem, & circulationem per duos menses, tandem quod tinctum, & extractum fuit per inclinationem separa, materia in fundo restanti bonum spiritum vini affunde, & circulando per menses 2. iterum coloratum extrahe, separa, ac priori liquori colorato m. Faces in fundo lentè destillentur, quod primum egreditur, addatur superiori tinctura, & ita per mensem adhuc sine destillatione destillentur. Nam ita paratum elixir. saporis exie non admodum ingrati.

In quâ re illud diligenter esse observandum idem fatetur Crollius, materiam sc. primo esse irrorandam spiritu vini, ut fiat quasi pasta, & deinde ol. sulph. affundendo, aliquin totam materiam in nigredinem à spiritu sulph. in myrrham, & aloëm propter pinguedines suas agente, veluti combustionem tingi asserit cit. auctor.

Veruntamen, quamquam non adeò perfectum sit hoc elixir, etiam summis pollet virtutibus, & quidem 1. Est summum vitæ nostræ balsamum, eam à putrefactione præservans, præcipuè in senibus. 2. Miranda in affectionibus pectoris, & thoracis præstat. 3. Adversus pestifera contagia populatim grassantia. 4. Viscera omnia nostri corporis ab omni labe mundat, unde ventriculi defectibus, catarrhosis, & tussientibus, hemicrania, vertigini, & oculorum caligini succurrit. 5. Ob hanc eandem rationem cor, & memoriam,

sensusque omnes acuit, confortatque. 6. Febrem quartanam curat. Demum omnium vulnerum, & ulcerum etiam interiorum viscerum summum est balsamum.

Dosis est à vj ad x. & xij. guttas in vino, vel aquâ conveniente specificâ.

Alij verò breviori, & faciliori modo hoc idem elixir præparant, cujusmodi præparatum apud plerisque in usu est.

℞. Aloës epat. myrrh. & croci opt. an. ℥j. contunde opt. myrrh. & aloëm, deinde crocum cum eis contundendo, congloba, ut supra diximus. Deinde indantur vitro cum lib. j. spiritus vini opt. & digerantur per dies 8. clauso vase deinde destilla lento igne, donec nil amplius per alembici rostrum ascendat, & serva. Caput mortuum potest etiam comburi, si vis, & sal extrahi, ut cum supra dicto elixire misceri, quod melius est.

Quod elixir ita præparatum licet non adeò perfectis virtutibus præditum, compertum habuerimus, ac supradictum tamen illud idem perficit, sed debiliori modo. Sunt nonnulli, qui hoc idem elixir per infusionem, & digestionem tantum præparant & mirificè præstat interius, & exterius.

Crollius elixir pestilentielle describit, non tam pestis præservativum, quam curativum, ut

℞. Flor. sulph. ℥iij. affunde ol. juniperini è baccis rectificati ad eminentiam, 3. vel 4. digitorum, ol. succini ab odoris vehementia liberati, quartam partem ad ol. juniperi: stent in arenâ sæpius movendo, ut flores lentè sine adustione solvantur. Postea ℞. Theriaca electa lib. j. extrahe cum spiritu vini opt. tincturam, quam à
spiritu,

Spiritu vini separatam, seorsim serva.
Rad. Elenij, angelica, bacc. juniperi contus.
an. ℥ iij. cum eodem spiritu vini extrahe
tincturam, quam in B. separatam m. cum
tinctura Theriaca, ac affunde ol. juniperi,
& succini floribus sulph. imprægnatum, &
per papyrum bibulam prius filtratum, om-
niaque circula lentissimo calore per dies 14.

Habebis secretum, quod in peste, & morbis epidemicis ex Dei benignitate ad miraculum operari solet.

Dosis j. vel ij. guttæ in vino, vel aceto quotidie manè. Vel singulis septimanis semel viij. vel x. gutt. jejuno ventriculo expectato sudore assumantur. Præservat à putredine, & nil impuri relinquit in corpore. Correptus statim ab initio accipiat à 3j. ad ij. in vino, aceto rutaceo, vel alio liquore appropriato, & sudet, potenter venenum è corpore pellit.

Idem præfatus auctor elixir uterinum magnæ efficacæ describit ita.

℥. Castorei lib. β. croci ℥ ij. extrahe tincturam cujusque seorsim cum spiritu vini, & separa spiritum ad remanentiam extractorum; quibus mistis adde extracti Artemisia ℥ iv. salis maris perlarum ℥ j. ol. destill. anisi, angelica, succini an. ℥ ij. digerantur mista omnia per 8. dies.

Dosis hujus elixiris 3j. vel ij. ingruente paroxysmo hysterico qualicumque tunc illico sanantur. Quod si singulis mensibus appetentibus menstruis æquali dosi utantur, non revertetur morbus hystericus; corrigit enim, & emendat menstruorum vitia.

Qui plures elixiriorum descriptiones cupit addiscere, legat varios auctores, & inveniet elixir epilepticum, apoplecticum, stomati-

chum, nephriticum &c.

Describunt alij alia elixiria, quæ vitæ, appellant, quæ nihil aliud sunt nisi multorum aromaticorum vegetabilium volatiles spiritus maceratione, & destillatione media in vino, vel vini spiritu peracta, & destillatione ejusdem vini spiritus imprægnati talibus spiritibus aromaticis, ut

℥. Caryophyll. nucis mosc. macis, cedar. galang. piper. long. pyrethri, cort. citr. majorana, sulvia, ammi, nardi indici, cubebæ. xylaloës, cardamomi, cinnam. menth. lavendula, costi, pulegij, calaminth. calami aromatici, stachadis, chamadryos, chamapityos an. p. æ. & in pulv. redacta vino opt. macerentur, inde levissimo igne destilletur aqua perspicua, & odorata, cui adde moschi gr. j. vel. ij. & serva.

Dosis cochlear. j. jejuno stomacho calorem naturalem vivificat, eanitiem retardat, &c.

Hac etiam eadem methodo varii varias parant aquas diaphoreticas, cujusmodi præ cæteris est aqua Theriacalis Quercet. cujus sequens est descriptio.

℥. Theriaca opt. ℥ iij. Myrrh. elect. ℥ β. croci ℥ ij. spiritus vini tb. β. Miscantur omnia, digere, ac per cineres in alembico vitreo lentissimo igne destillentur, destillata circulentur in fimo equino per 8. dies, iterum destilla, & serva.

Uusus hujus aquæ est in sudoribus provocandis in febris præsertim malignis, pestiferis, &c.

Dosis 3 ij. usque ad ℥ β. in aq. card. benedicti, julepis, &c. jejuno stomacho.

Sunt aliqui, qui è theriacâ efficaciam extrahunt succo limonum,

aliisque aquis, ut aufugiant vini spiritum propter ejus caliditatem, sed frustra laborant, nam sine vini spiritu nulla fit extractio, & succus limonum est improporcionatum mensurum ad talem operationem. Quod si quis vini spiritum timet in hujusmodi febribus, in parva dosi utatur ad 3j. vel ij.

Balsami autem vocantur à spagyricis, qui vulnerum, vel ulcerum omnium remedia sunt, quique solo illinctu omnem putredinem abigunt. Nil n. aliud sunt nisi olea essentialia; sive simplicia, sive composita. Simplicia ex vegetabilibus educi possunt, supra retulimus, ubi egimus de gummosis, & aromaticis vegetabilium essentiis, quæ omnes vi balsamica pollent. Composita autem balsama nil aliud sunt, nisi dictorum vegetabilium essentialia commistæ cum aliquali ceræ, vel olei portione, ut ad instar unguenti, vel olei adaptentur. Quorum plures descriptiones reperietis apud diversos auctores, ut v. g. si vis *caryophyllorum balsamum* conficere.

℞. Ol. *caryoph.* methodo supradicta preparati 3ijß. ol. *amygdal. dulc.* 3iij. cera 3ij. funde prius ceram simul cum oleo *amygdal.* deinde adde ol. *caryophyll.* & baculo ligneo diligenter agita igne levissimo, donec unguenti consistentiam acquirat, & serva, potest misceri ol. *cinnam.* semoto prius tigillo ab igne.

Erit summum ulcerum, & vulnerum balsamum, si applicetur cum linteis eo madidis, vel simili alio modo.

Sic etiam conficere poteritis balsamum compositum *cinnam. anisor. aloës*, &c. si horum essentialiam sumi-

liter præpares.

Sed præ cæteris extat *balsami vite* descriptio apud varios auctores tanquam magnum arcanum celebrati, quæ sequens est.

℞. *Myrrh. Aloës ep. thuris, balsami peruviani, bdelij, gummi ammoniaci, sarcocolla, mastichis, gammi arabici, styracis, laudani, bacc. lauri, & assungie castorei an. 3vj. croci 3jß. nucis myristica, cinnam. caryophyll, gummi anime, Zedoaria, galang, spica romana, cardamomi, & cubebarum an. 3ij. pulveriza omnia, & digere cum vini spiritu defecatissimo, qui emineat digito uno, 24. horarum spatio, vase opt. clauso. Deinde destilla in cineribus per retortam vitream igne lentissimo, liquori extracto add. ol. *samps. camomill. puleg. hyssop. salvia, rutha, spica, & lavendula an. 3j. thymi, saturia, cubebar. Zedoaria, nucis myristica per express. fact. an. 3ß. cinnam. caryophyll. ros. citri, aurantior. fenculi, anisor. & carui an. 3ij. m. & digere vase opt. clauso, & serva.**

Verum quamvis balsamum hoc sit insigne cordiale, & ad multos affectus cordis, capitis, ventriculi, & uteri commendetur, & illius usus fit tam internus, quam externus; valde tamen ejus est operosa compositio. Nos verò simplici aliquâ essentiali suprà descripta utimur: nam non multiplicitas miscibilium, sed essentialium simplicissima homogeneitas balsamicas, aliasque medicamentosas perficit virtutes.

ART. DECIMUS QUARTUS.

De Anodynis.

Anodyna ea appellantur phar-maca, quæ dolores, angores, aliof-

aliosque humanæ vitæ cruciatus sedare, & pacare valent, idque non per molestantia causæ (ad cuius præsentiam vita p. n. tumultuatur) ablationem, sed quia sensum veluti obstupefaciunt, soporem inducendo, à quo mala ferè omnia sedantur, juxta illud *Seneca* in *Hercule furente*.

Tuque ò domitor

Somme malorum, requies animi,

Pars humana melior vita.

Pacamur namque quando in eo quod anxietatis multæ sollicitudines, melancholiæ, aliæque animi passionnes, dormitione tollantur. Proficuo namq; compertum habemus eventum morbos omnes ex Archeali idea partos in nostrâ vitâ, sedativis administratis tantum medelis, curatos fuisse, ut præ cæteris uteri varios furores, asthmaticos affectus, viscerum dolores, aliæque alia similia mala ab ideâ tantum in vitâ, conceptâ producta, consopientis archeum medicamenti beneficio confestim profligatos ipse docuit eventus.

Multa autem adsunt apud diversos auctores anodynorum descriptiones, & quidem primò *Paracelsi* lib. 7. *Archidox.* ubi de specificis agit, ita *specificum anodynum* describit.

℞. *Opij Thebaici* ℥j. *succi pomor. aurantiorum, cydoniorum, an.* ℥vj. *cinnam. caryophyll. an.* ℥ss. *contusa per quam op.* simul omnia, *mistaque ponantur in vitrum cum suo coopertorio caco, digerantur in sole, vel in fumo per mensem, postmodum exprimantur, & imponentur iterum cum sequentibus.* ℞. *Moschi* ℥ss. *ambra* ℥iv. *croc.* ℥ss. *succi corall. & magisterij perlarum an.* ℥jss. *commisce, postquam digestionem eorum mense factam, adde quinta*

essentia auri ℥jss. *quâ permixtâ cæteris anodynum specificum erit ad auferendum quoscumque dolores internos, & externos, ut nullum torqueatur, vel corripitur membrum ulterius.*

Verum licet hoc specificum anodynum sit maximum medicamentum sedativum, summisque virtutibus, tamen valde operosa est ejus operatio, & admodum difficilis ob succi coralliorum, & quintæ essentia auri defectum, tamen extant aliæ anodynorum præparationes faciliore opere, & labore factibiles apud varios auctores, præsertim apud *Libavium, Crollium, Quercetanium, Beguinum, Poterium, & alios*; præ cæteris tamen celebratur sequens *Laudani opiat*, seu *Nepenthes* descriptio.

℞. *Opij Thebaici q. v. scindè in particulas, seu bracteolas parvas, & tenues. & in patinâ vitreâ, vel argenteâ igne lento arena, vel cinerum exsicca tanisper, donec spontè suâ, & cum digitis in pulverem comminui possit. Nam exhalabit sensim sulphur quoddam vaporosum, feridum, in quo omnis vis narcotica, & obstupefactiva consistit. In quo perficiendo, cave, ne vaporosum illud opij gas inspires, nam lædit cerebrum. Deindè extrahè cum aceto destillato, vel succo limon. depurato ab opio hoc ita correpto tincturam superfundendo ad eminentiam v. vel vi. digitorum, digerendo mediocri calore, donec affusus liquor tinctus sit rubini, vel granati ad instar; separa tinctum liquorem per decantationem, & serva, & rursus residuo magmati novam liquorem affunde, digere, decanta, & serva, iterando affusionem, digestionem, & decantationem tincti liquoris clari supra residuas opij feces toties, quoties acidus liquor tinctus apparebit rubeo colore, nam si croceus erit extracta tinctura color, quem*

post rubea separationem extrahes, ne misceas illam cum reliqua tinctura; quia crocea nullius est efficacia, tincturam vero rubicundam, & claram alembico vitreo imponas calore B. ad evaporationem aceti, donec residua tinctura mellis consistentiam acquirat. Deinde ℞. Hujus extracti opij ʒ ij. Magisterij, vel salis coralliorum, & perlarum an. ʒj. extracti crocei cum spiritu vini facti ʒ iv. m. omnia diligenter, & serva. Cui addi possunt aliquot gut. ol. caryophyll. & cinnam., vel parum moschi, vel ambra, &c.

Hoc laudanum est penè inculpabile, & multis virtutibus præditum, & quidem dolores omnes sedat, fluxiones ferè sistit, ardoremque consumit, somnum inducendo, naturam confortat, &c. unde in delirio, phrenitide, febribus, pleuritide, vomitu, arthritide, uteri suffocatione, &c. summo cum juvamine potest exhiberi. Dosis est à gr. ij. ad iij.

Advertendum tamen est in usu Nepenthes, aliorumque narcoticorum, quòd multa sunt quæ illa non admittunt, vires nempe infirmæ, corpus impurum, humorum crassities, & naturæ motus. Vires imbecilles semper prohibent, motus naturæ non semper, nam cum immodicus hic est, ita ut non possit coerceri nisi opiatis, tunc opiata sunt cautè, & in parva dosi offerenda. Nec solus naturæ motus præsens opiata prohibet, sed etiam imminens, quapropter cum dolor capitis signum sit imminens crisis, tunc non debet opiatis tolli. Quòd si urgentissimus sit, ita ut syncopes inducat, nec alia remedia, vel extra vel intra adhibita succurrant, tunc

ad opiata necessariò recurrendum est, sed in pauca dosi sunt usurpanda in hoc casu, & admista aliis medicamentis, quæ quodammodò respiciant ad naturæ motum, & hoc non solum quia ad quod magis urget est respiciendum, sed etiam quia non semper imminens crisis certus sumus.

Corporis impuritas, & humorum crassities, cum dolor maximè urget, opiatorum usum fortassè admittit, nam opium non tantum coagulando operatur, subtiles partes incrassando, ac densando furescentes, sed efferatos icores figit, refrigeratque, mordaces succos temperat, ac mitigat, partes etiam munit, præsertim præcipuas, poros illarum claudendo, & minus obvios reddendo causis dolorificis, spiritus vitales, & animales figit, nervos illis minus obvios reddit, & sensum minuit, ita ut impetum, & insultum vaporum malignorum, qui illis insidiantur, spernant.

Adde, quòd opiata cum sulphurea sint, pollent vi quadam Diaphoretica, & Sudorifica, qua humiditates morbificas expellere valent, unde ad causam doloris etiam respiciunt. Meritò igitur cardiacis, & præsertim theriacæ admiscantur narcotica, ut diaphoreticorum simplicium vim acuant, & non ut vulgò putatur tantum, nè evanescere faciant illorum vires, quæ volatiles sunt, & facile exhalabiles.

Ex his collige, quòd opiata prudenter administrata, non solum dolorem, & doloris causam abscindunt, verum etiam recreant, & tuentur omnes corporis partes præcipuas, præsertim cor, & uterum, & interdum

dum sulphureos spiritus fixando, & occasionalem materiam mitigando, febrium ardores solantur, unde epilepsia, melancholia, mania, vulvae strangulationi, delirio, haemorrhagia, fluoribus ventris dysentericis, hepaticis, lientericis, & similibus, colica, dolori nephritico, & innumeris aliis p. n. affectibus occurrunt. Quae de re non mirum est, si apud Graecos, & Arabes innumerae opiatorum descriptiones inveniantur speciosis decoratae titulis, & praedicatas ferè adversari ipsas omnibus p. n. affectibus, & medicinae Monarcha *Paracelsus*, qui meritò appellatur, opiatis pilulis, nescio, an ex mineralibus, an verò ex vegetabilibus confectis, quae secum semper ferre solebat, mira efficere valuit, ut ejus hostes etiam testantur. Sed quantum opiata ritè adhibita prosunt, tantum obsunt malè administrata, ut passim observare est in vulgariibus medicis, qui opiatis non paucos aegros jugulant. Non solum medicus respicere debet in opiatis exhibendis, effectus, vires &c. sed quam maximè advertere ad illorum reparationem, neque ipsis uti, nisi à semetipso, vel à perito artifice praeparatis, neque fidem adhibere seplasiariis, maximè in *Nepenthes* confectione. Undè melius est, si *Nepenthe* legitimè administrato caret, ut confugiat ad philonium, requiem Nic. pilul. de cynogloss. & ceteras in officinis usitatas compositiones. Sint narcotica ritè correctæ, & vetustatem sapiant; nihil enim tam benè illa corrigit quam vetustas. *Nepenthes* *Hyoscyamo* careat, & non veniat in usum, nisi transacto longo

tempore à compositione; longo enim tempore opium cum adstringentibus probè miscetur, fermentatur, pravitatem amittit, compefcuntur, & obtunduntur nimium subtiles illius spiritus, ligantur, coguntur, & exhalant, à quibus omnis noxa; hi enim intimiora viscerum penetralia mirum in modum, & plus justo invadunt. Spiritus, & sensus tenebricosa caligine obnebulant, obtenebrantque. Corrigentia posuimus in *Nepenthes* descriptionibus. Hic tantum sciatis nil tam Opium posse corrigere, quam crocus; crocus enim facultate, qua ebrietati resistit, & crapulae, opium etiam corrigit, & similitudine illius spiritibus unitur. Quae adduntur pretiosa, ut Bezoar lapis, aurum, ambra, &c. ab aliquibus, partim superflua sunt, partim inutilia, & parum fortasse noxia. Veteres etiam, & recentiores aliqui timentes opij frigiditatem ignea corrigentia adhibent, & sic opium, quod calidissimum ipsorummet regulis, calidissimis corrigunt. Nos, si simplicissimum laudandum parare velimus, illud efficere poterimus ex sola opij, & croci tinctura, corallino pulv. vel magisterio addito, & guttulis aliquot olei sulph. ad fermentationem juvandam, & opij spiritus nimium subtiles figendos.

Non leve litigium circa opij crassum intercedit. Alij sensuum exteriorum, gustus, & palati arbitrio ducti, calidum ob amaritudinem dicere. Nonnulli ob stuporem, difficultatem anhelandi, ac nonnunquam suffocationes, quas spiritus densando invehit opium, frigidum

in summo dijudicavere, & quasi cum cicuta symmetriam habere crediderunt ob stuporem, & animalis facultatis omnimodam interceptionem. Alij verò hinc inde aspicientes rationes utrique suffragantes, inter utramque mediàm statuere sententiam, neque calidum, neque frigidum pronunciaverunt, sed tanquam ad ignorantiae asylum, ad qualitates occultas, & ad formas à tota substantia confugere. Frigidum dixere, quia calidis corrigitur, ut croco, sed in hoc errant, non quia crocus est calidus opiatorum ingreditur confectionem, sed à facultate, quæ ebrietati resistit, & crapulæ (ut diximus) corrigit opium. Calidum esse nemo sanæ mentis est, qui ambigat, nam opium quoddam sulphur inflammabile, indigestum, ac obstupefactivum, quod Narcoticum vocant spagyrici, habet, unde verum opium facile concipit ignem.

Hinc habes somni naturalis, & p. n. causam, nam sulphur est unum chymicorum principium, & hoc tam in mineralibus, quam in vegetantibus quibusdam reperitur, quod narcoticam habet virtutem, tale est in opio, in Hyoscyamo, & in aliis multis ex vegetabilibus; ex mineralibus verò in vitriolo, &c. hoc in homine esse probant Chymici, primò ex constitutione, secundò ex mistione; ex constitutione quia extrahitur ab homine mortuo tale sulph. ex mistione, utitur rebus tale sulphur habentibus, alitur enim ex herbis, leguminibus, frumentis, in quibus, vel actu est, vel potentia hujusmodi sulphur, & animalibus, quæ illis vescuuntur. Inesse in lactuca actu sul-

phur narcoticum patet; quia cum lactuca maturefcit, ferè ut papaver somnum inducit, quòd non facit cum tenera est, quod deberet hoc magis efficere, si humiditate, & frigiditate id perageret. Præterea ex frumentis, & leguminibus fermentatis liquor conficitur inebrians, & somnum inducens.

Cum Narcoticum sulphur, vel in alimentis, vel in sanguine existens exaltatur, ac cerebrum invadit, tunc pori cerebri clauduntur, spiritus inepti ad motum necessarium redduntur ob fixationem, & somnus oritur: si non admodum sulphur exaltatum est, vel somnus naturalis, vel qui parum à naturali differt, generatur; Si exaltatur magis, & etiam incenditur, tunc lethargum efficit; Si ad ultimum ferè gradum exaltatio provenit, Carum gignit. Quòd si spiritus in partibus totius corporis existentes figit, catalepsim facit, & hinc facile controversia tollitur, quæ agitat Medicos de somno præternaturali, qui aliquando febres acutas comitatur, nam cum febres fiant à sulphure, si sulphur illud de narcotico participat, necessario somni præter naturales generantur; aliquando figitur; vel mercurius, vel sal à narcotico sulphure, & tunc affectus insuperabiles ferè procreantur.

Inesse vim narcoticam in sulphure probant Chymici, primò, ex vino, cujus sulphurea pars narcotica est. Secundò, ex opio, cujus pars inflammabilis etiam est narcotica, quæ separata ab opio, opium amplius narcoticum non est.

Hinc collige causam effectuum sopor-

Soporosorum à vulgaribus Medicis assignatam, scilicet humorem pituitosum, vel aquosum in cerebro præternaturaliter contentum; qui si in copiâ non admodum magnâ copuletur, & cerebri substantiam irroret, ac refrigeret, illiusque meatus insensibiles obturet, comatosum affectum generat, quod si putredinem concipiat, sive in tumorem sit collectus, sive per totam cerebri substantiam dispergatur, lethargum efficit; si in magna copia, & imbibitur à tota cerebri substantia, carum producit, falsissimam, & alienam à veritate esse, probatur

Primò, Pituitosus humor in multis catarrhosis maximè abundat, qui tamen his affectibus non corripuntur. 2. Quia hydrocephalo affecti, quorum cerebrum totum aqua aspersum est, neque comatosi, neque lethargici sunt. 3. Sectionibus compertum est quàm plurimorum cerebrum pituita, & aqua fuisse aspersum, qui tamen nunquam somnum præternaturalem habuerunt. 4. Quia multi incidunt in hos affectus ex vini generosi nimio potu, qui consequenter in cerebro vini vapores, calidos, & siccos habent. Præterea frigida regionis incolæ scatent excrementis pituitosis quamplurimis, & tamen in hos affectus incidunt, non aliter ac alij, qui in aliis regionibus habitant, cum deberent, vel perpetuò, vel sæpè hæc pati: igitur somnus præternaturalis, neque frigoris, neque humiditatis soboles est, quia multoties, quorum cerebrum summoperè calet, & lingua siccatur, hi observantur prædictis soporosis affectibus obnoxij.

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

ART. DECIMUS QUINTUS.

De Aceto Destillato.

Menstruum multorum vegetabilium, sicut & mineralium est acetum destillatum, nam sæpè eo utimur præsertim ad extrahendas eorum tincturas, ut diximus supra cum de opij extracto egimus pro præparatione laudani superius descripti, quod ita paramus.

℞. Acetum generosum, imponas Alembico vitreo, (cave namque ab aëre, nam spiritus aceti, cum corrodat, mutatur a tactu ejus) & destilla; nam primò egreditur phlegma, quod separa, deinde mediocri igne proseguere destillationem usque ad ultimos spiritus, & serva.

Parant etiam Chymici acetum radicatum, quod nihil aliud est, nisi acetum destillatum, & cum proprio suo sale in facibus residuo conjunctum, toties destillando illud à sale, donec sal simul cum spiritu volatilizetur, ita verò paratur.

Destillato aceti spiritus usque quò facies in fundo Alembici residua ad mellis consistentiam redigantur. Deinde extrahe sal supersundendo aquam communem facibus ad supereminentiam 4. digitorum, & digere per biduum in calore B. deinde filtra, & ad tertiam partem evapora, deinde pone in loco frigido, ut crystallos producat, quas recipe, & iterum evapora aquam residuam ad tertiam, ut crystallos iterum reddat usque ad ultimam aquæ evaporationem. Crystallos exsicca, deinde acetum pluries destillatum, & ab omni phlegmate liberatum crystallo superfunde, ita ut lib. j. crystallo addantur iv. aceti. Deinde lento igne rectificetur acetum, & à phlegmate

N

mate

mate inutili liberetur; Urge postea ignem, mutato recipiente, & toties acetum à sale fixo destilla, donec totum per Alembicum ascendat.

Hujusmodi radicatum acetum valet ad durissimos lapides, corallia, uniones, ac mineralia solvenda pro variis magisteriis conficiendis, ut sequenti libro dicemus.

Parant alij brevius acetum radicatum, sive alkalizatum, sæpè cohobando acetum supra residuas suas fæces, & singulis vicibus urgendo ignem usque ad retortæ candorem. Cohobatio autem fieri potest usque ad quartam, vel quintam destillationem. Separandum est etiam phlegma, quod primò destillat.

ART. DECIMUS SEXTUS.

De Spiritu Vini.

Destillatur etiam vinum non secus, ac etiam acetum solet destillari, cum hac tamen differentia, ut in destillatione vini, spiritus primò ascendit, deinde phlegma: in aceti verò destillatione è contra, phlegma prius destillat, deinde spiritus, paratur autem sequenti methodo.

Digere vinum spirituosum in fimo per 8. dies, vase benè clauso, deinde illud affunde in cucurbitas alias, vel in matracium, quibus superpone alembicum rostratum, juncturis benè clausis, deinde lento igne destilla, ut artis est. Exibit primò spiritus nimis volatilis, athereus, qui lentissimo igne erit destillandus, & refrigerando, sæpè imponendo petias aquâ frigidâ madidas supra alembicum. Nàm subtilis hic spiritus est vini essentia, sapitque vini speciem saporis, & odorem.

Poteris etiam ad majorem vini spiritus perfectionem comparandam obstruere aliquantisper, molliter tamen, matracij os, ut scilicet transiundo per gossipium spiritus, phlegma deponat in gossipio, undè purior evadat. Cum phlegma destillare incipit, amove recipiens, nàm est ignavum, & inutile. Urge phlegma usque ad mellis liquidi spissitudinem, dando ignem per gradus, & accipies oleum pingue. Ex capite mortuo sal elicies. Si præstantiorem vini spiritum desideras, rectifica eum sæpius, repetitis destillationibus, donec phlegma deponat, eritque totus cremabilis, sulphureus, & volatilis, sic habebis spiritum generosissimum, & verum alkohol, sine omni aquositate, tenue admodum, & fugax, cujus guttula effusa, terram non attingit, sed evanescit in aërem. Sed dignum hic consideratione videtur, cur vini spiritus sit inflammabilis, aceti verò nequaquam? Ob id evenire liquet, quia vini spiritus abundat substantia æthereâ, sulphureâ, & sale volatili: aceti verò per secundam, & ulteriorem fermentationem in vino factam, sal volatilis, fixus evasit; undè clarè conspicitur prius phlegma ascendere, deinde spiritum, etenim si aceti sal volatilis esset, æthericæque substantiæ particeps, vel quolibet motu agitatus ab inutili phlegmate, intra quod cohibetur, statim liberaretur, ut in vini spiritu experimur; quòd cum non eveniat in aceto, manifestum erit saltem fixuræ continere, substantiæ magis crassæ affinem, quod & multo indiget motu, ut ascendat, atque ut prius phlegma sepa-

separetur, intra quod tenaciùs hærescit, ejusque ascensum impedit. Præterea vini spiritus nihil, vel parum tincturæ è mineralibus elicit, contra verò aceti: quod nisi ipsius sal esset maxime fixum, sicut in cæteris menstruis, ut propterea posset in metallorum particulas potentiùs agere, & se intrudere, id non eveniret, ut discurrenti manifestum esse potest. Hunc vini spiritum variis speciosis nominibus decoravere spagyrici, nam dicitur aqua vitæ, aqua ardens, sulphur cæleste, menstruum cæleste, cælum Lullij, claves Philosophorum, &c.

Potest etiam destillari vinum absque præcedenti digestionem; administratur verò digestio, dum vinum est recens, & adhuc non benè fermentatum in doliis. Debetque spiritus elici à vino bono, odorato, meraco, non autem, ut vulgò solent, à vappâ, aut ab eo, quod jam corrumpi incipi (vulgò *sbulluto*) spiritum destillare mercatores, ut sumptibus parcant; nam talis vini spiritus minimè debet tanquam vini essentia ægris interius propinari cum cordialibus confectionibus, syr. &c. sed tantum eo uti poterimus, tum ad externas unctiones, tum ad alios externos usus, tum etiam tanquam menstruum ad varias tincturas, &c. è corporibus eliciendas.

Hic spiritus, sive vini essentia est summè cordialis, unde cordis tremori, sive palpitationi ex causâ flatulenta confert, spiritus namque vitales recreat, stomachum roborat, cruditates digerit, flatus expellit, præservat à putredine, acuit sensus: sed obesis, & illis qui frigidum nacti

sunt temperamentum, ut vulgò ajunt, propinandus est moderatè; nam immoderatè multos pravorum gignit affectus, inflammat enim spiritus, ignis ad instar corpora exsiccat, & ut uno absolvam verbo: ab immoderato spiritus vini usu multi interierunt, unde potiùs meretur dici aqua mortis, quàm vitæ. Nocet biliosis temperaturis, epati, & renibus. Hydropem gignit, & phthisim. Obest apoplecticis, epilecticis, & pueris. Extrinsecè ad ophthalmiam, dolores ex causâ frigidâ, ad casum, & percussionem valet.

Erysipelatis summum est remedium; erysipelate itaque incipiente, ter, vel quater in die, partem in quâ apparuerit, spiritu vini omni phlegmate privato, & omnino cremabili irrorata, idque fiat per tres dies; nam si erysipelatis materia fermentalis facta non est, eo spatium cura perfecta est, & quarta die æger erit immunis à febre. Vini enim spiritus partium spermaticarum, & continentium amicissimus est, earumque robur multum adauget, profundissimè penetrat, poros aperit, & materiam erysipelatis resolvit. Si quis vini spiritum exhorreat, ex eo quia calidus existimetur, hic sciat, quod tantum abest, ut vini spiritus excalfaciat, ut intensè refrigeret, quem experietur, si media ætate vini spiritus totus cremabilis, sine ullo phlegmate super propriam carnem aspergatur, frigidior enim illam sentiet, quàm si à glacie tangeretur.

Non solum ex vino spiritus ardens elicitur, verum etiam ex *cerasis, fragis, bacc. Juniperi &c.* ardentes

spiritus mediante fermentatione, & reiterata rectificatione facile parantur. Ut etiam ex rosis, aliisque herbis, & floribus per fermentationem, reiteratamque destillationem, & rectificationem arduos spiritus elici possunt.

Non abs re nobis annectere videtur modum conficiendi medicamenta solutiva, quæ spagyrici clarificata vocant, vulgò *purgantia destillata*, & certum est, potiones clarificatas pulchrum nancisci colorem, & faciliiori negotio ægrotis delicatulis, infantibus, & his quibus ventriculus nauseat premitur, & qui solo aspectu medicamentorum odorem perhorrescunt propinari, quàm amari calices, quos medicorum vulgus omnibus indifferenter languentibus propinant; nam clarificata purgantia, adeò gustui, palatovè grata redduntur, ut ipsis languentibus in deliciis sint, modus talis est pro *manna potabili* clarificata.

℞. Tart. opt. pulver. ʒvj. bull. in aqua borag. lib. j. ad mediæ consumptionem coletur, & in colatura infundæ per noctem sol. sen. or. s. s. mund. ʒss. & mane facta levi ebullitione, coletur, & dissolvantur in ea manna elect. Calabrensis ʒiv. clarificetur cum albumine ovi, & trahatur per manicam Hippocratis. Si liber addatur aquæ cinnam. vel flor. namp.

Aliqui addunt succi limonum, vel citri portionem, ut potio acida reddatur ad gustatus oblectamentum; alij in odoratus gratiam addunt aquam flor. citri, vel aurantium, &c.

Potio hæc actu etiam frigida dari potest, nec ob id ejus minuitur operatio. Potest loco aquæ Borag. quæ

libet alia aqua sustitui, prout diversi exposcunt morbi. Potest etiam ex leniente fieri purgans, addita rhabarb. agarici, Jalap. aut alterius medicaminis infusione, nec non ingredientium omnium.

Hac methodo omnes potiones solutivæ parari possunt, & loco manna addere infus. ros. solut. syrapiæ solutiva confect. & electuaria solutiva, &c. conveniente dosi, clarificando cum ovi albumine, & trahendo per manicam Hippocratis.

Dosis pro varia ægrotum natura ad libitum variari potest.

Sed ad nostrum vini spiritum redeamus, ex quo recentiores varios concinnant julepos, ac sæpè sapius cordialibus remediis admistos ægris propinare solent.

Et quidem primò puru ex eo *Julepum vitalem*, tam simplicem, quàm compositum parant. Et primò quidem vitalis simplicis descriptio hæc est.

℞. Sacch. opt. ad syrup. consistentiam cocti lib. j. aquæ vitæ, & rosaceæ an. ʒviiij. m. amoto prius ab igne sacch. & ut penè refrigerescere incipiat. Nam si dum nimis calet saccharum, vini spiritum ei misceas, abit calor nimij impatiens in auras, & nullius, vel parvæ virtutis erit Julepus.

Alij pro Julepo vitali simplici conficiendo, accipiunt sacch. clarificatum cum aq. ros. ad lib. j. cui miscent spiritus vini ʒij. vel etiam spiritus ardentis pomorum adulatorum.

Ufus ejus est in tussi, catarrho, aliis pectoris, & capitis catarrhosis affectibus.

Conficiunt etiam alij *Julepum vitalem compositum*, ut,

℞. Sacch.

℞. Sacch. q. v. coque ad syrup. consistentiam, & in ipsius lib. j. adhuc calentem injice cinnam. pulverisati ℥j. santal. rubr. & citrin. an. ℥j. ligni aloës ℥j. ambra grise gr. vi. spiritus vini opt. & aqua pomorum redolentium an. ℥v. aufer vas statim ab igne, & opt. claude, & digere extra ignem, donec liquor spontè refrigeret, à facibus postea illum libera, & serva.

Paratur etiam aliquando solo cum cinnam. aliquando cum muscho, vel ambra, &c.

Dosis ℥j. vel ij. cum conveniente liquore, vel etiam absolutè.

Conficiunt etiam cum vini spiritu oleum sacchari vel simplex, vel compositum, ut,

℞. Aq. ardentis ℥ iv. cinnam. contus. ℥ β. vase vitreo opt. clauso digere, liquorem decanta, & pone in patina vitrea ampla, & adde sacch. albiss. pulver. ℥ ij. candelà, vel charta spiritu vini madefacta, accende tincturam, & spatula lignea, vel argentea continuò materiam agita, donec ignis extinguatur.

Poteris pari modo parare oleum ex santalis, caryophyll. ambra, muscho, &c. sicut etiam absque ulla tinctura solo vini spiritu sacchari ol. conficies. Pro saccharo poteris etiam uti melle.

Si cupis liquorem spirituosiores, non sinas totum vini spiritum comburi, & exhalare, sed antequàm totus absumatur, flammam extingue.

Usus. Est suavissimi saporis, corroborat, & in tussi eliminanda, modò febris absit, egregiè prodest: Expectorationem promovet, & asthmaticos juvat. Raucedini confert, &c.

Alius etiam sacchar liquor absque vini spiritu elici potest.

℞. Ovum j. vel plura, indura media

elixatione, deinde à corticibus munda, ac in duas partes aequales divide, aufer vitellum, & vacuum imple sacch. candidissimo, filo circumligatum ovum claude, & pone inter duas patinas in cella vinaria, vel alio loco humido. Ovum postea aperi, & liquorem in phiala serva.

Valet ad ophthalmiam, & multos alios oculi affectus, sicut etiam faucium, oris, &c.

ART. DECIMUS SEPTIMUS.

De variis Vegetabilium Decoctionibus.

SÆpè ad contumaciores morbos profligandos decoctis utimur, quorum usus apud omnes Medicos communis est, eò, ut multorum morborum curationes non nisi decoctis committant.

Communis verò sensus scholasticorum est, decocta habere vim exsiccantem, atque adeò ad exsiccandos multos ab eis fictos humores propinari asserunt. Verùm nos non adducimur, ut credamus unciam cujuscumq; exsiccantis vegetabilis, quinque, aut sex aliis aquæ uncias immistam, quæ valent ut quinque humectare, exsiccare posse, cum *siccitas ex Aristotele: nihil aliud sit, quam humidi defectus*, ac ipso naturæ lumine constat, exsiccationem perfici per humidi evaporationem à calore factam; non igitur video quomodò in quinque vel sex aquæ unciarum exhibitione siccatio fieri possit, quin potiùs contrarium, scilicet humectatio succedat.

Verùm pro hujus rei intelligentiâ juxta nostra principia dicendum, decocta propriè non exsiccare, cum

ficcitas non sit qualitas positiva, neque posito quòd haberent vim exsiccandi, ideo morbos curare valerent, cum non simplex humiditas, cui supponitur contraria ficcitas, sed humorum degeneratio à naturali statu, ut plurimum similes morbos gignit. Præterquamquòd semper cum ægri maximo propinarentur damno, quia non minus excrementitium, quàm nutrimentitium humidum sua ficcitate resolverent decocta; tùm quia non esset major ratio, cur unum potius, quàm alterum resolverent, exsiccarentque tùm etiam quia non adest in nostris visceribus sedulus separator aliquis, qui ad medicamenti exsiccantis nutrum excrementitium à nutrimentitio sequestret, illudque subjiciat, exponatque medicamento, ut illud tantum exsiccet, infonte remanente.

Meliùs inquam dicendum juxta nostra principia, & lumine naturæ ducti, quòd sicuti omnis corporum actio pendet ab intrinseca eorum essentia, seu spiritu seminali constitutivo eorum, qui ludens in vegetabilibus, præsertim sub forma salis essentialis; ita decocta agere virtute hujus spiritus, sive salis essentialis soluti in aqua decoctionis. Undè decocta diureticam, vel diaphoreticam habent vim, quatenus sal illud essentialis, aliud excrementitium sanguini innatans, corrigit, resoluit, à quo ut plurimum retento multi generantur morbi chronici, qui ut curentur, decocta exposcunt.

Quam sententiam confirmat primò eventus; nam observabis decoctiones eandem vim retinere, quàm ea simplicia, ex quibus parantur,

habent, unde ex simplicibus purgantibus purgans, ex anodynis anodynum, ex aromaticis aromaticum decoctum paratur: Idque non ex aliâ ratione, nisi quia sal essentialis specificum simplicium migravit in aquam, media maceratione, digestionem, & ebullitione, quam veluti seminali virtute illud idem operandi, ac simplicia perficiunt, imprægnavit. Argumentum est igitur evidens, non relollaceam vim, sed substantiales virtutes aquæ transfusas à simplicibus in decoctis agere.

Secundò id confirmat, quia præter decocta purgantia, omnia ferè alia, vel per diaphoresim, vel per urinæ vias resolvunt: ergò quatenus habent sal essentialis, quod vel diaphoreticum, vel diureticum est. Idque non quia simplicem humorem per illas vias resoluit, sed quia sal omne excrementitium a sanguine, & visceribus deturbat, quod ut commodius expellat natura id simul cum humido, à quo resolvitur, ejicit, vel per sudores, vel per urinam.

Confirmatur igitur ex hoc: vim omnem, & facultatem decoctionum in tinctura, & sale essentiali consistere.

Undè habes primò, quæ clauso vase, quæve aperto decoctiones fieri possunt; cæ enim quæ sal fixum habent, vel non adeò volatile, fieri possunt aperto vase: quæ autem sale volatili abundant, sunt decoquendæ clauso vase. Verùm nos semper laudamus decoctionibus faciendis vas clausum ad majorem cautelam. Vasa sint semper vitrea, vel horum defectu, sumantur terrea, sed vitreata.

Habes

Habes secundò, dura, & compacta vegetabilia longam sustinere coctionem; è contra verò rara, & humida, & aromata, quorum vis omnis, & facultas in superficie consistit, brevem, lentamque exigunt coctionem. Aliqua etiam solam macerationem expetunt. Nos verò plerumque utimur digestionem per 24. horas, deindè ea ebullire sinimus. Ad commodiorem, & faciliorem salium essentialium, seu tincturæ extractionem in decoctis, præsertim vulnerariis pro qualibet aquæ communis librâ admiscemus 3ß. spiritus vini alkoholizati; in nephriticis, aliisque diureticis admiscemus aliquantulum olei sulph. ut aqua parumper acescat: ita enim potentiùs aqua agit, resoluit, extrahitque tincturam à simplicibus.

Varias verò decoctionum species commenta est vulgare Medicorum schola singulis partibus, & morbis accommodatas nostri corporis, hinc cardiaca, stomachica, hepatica, splenica, cephalica, gallica, epilectica, nephritica, vulneraria decocta excogitavit, quibus veluti possit singulas partes obsidentes morbos aggredi.

Singulas autem decoctionum species hic adducere omittimus, tum quia nimis longum esset eas hic percellere; tum etiam quia faciliè eas descriptas reperietis apud varios Auctores.

Ea verò decocta hic afferemus, quæ ob vim, & facultatem, quam habent curandi vulnera, & ulcera, tam interna, quam externa, vulnerariæ potiones appellantur, quarum usus consuetus est apud Germanos,

aliosque recensiores Medicæ facultatis Professores, qui non solum ad vulnera, & ulcera, verum etiam ad compluresque alios ingruentes morbos percurandos felici cum successu utuntur; sunt enim aliqua simplicia, quæ ob balsamicam virtutem vitæ nostræ familiarem, quam habent, semel decocta, & epota valent ad præfata vitæ humanæ mala percuranda. Eorum multa dinumerat Paracelsus tract. 2. Chyrurgia magna cap. 2. ex quorum sex, vel pluribus decoctiones parabis ad ulcera, & vulnera. Hæc verò vulneraria simplicia ibidem annumerantur: *Sanicula alba, Sanicula sylvestris, Alchimilla, Ophioglosson, Trifolium, Consolida media, Telephium, Limonium utrumque, Mumia, Spemaceti, Terra sigillata vera, Rhabarbarum, Buxi folia, Aristolochia, Agrimonia, Symphytum, Persicaria, &c.* quibus addas *Rhaponticum, Santalum citrinum, & rubrum, Sampsucus, Betonica, Ebur, Cornu Cervi, & Balsamica* fere omnia vegetabilia, nec non gummosa omnia ligna, & gummata.

Parari etiam possunt ex viridibus herbis (nam ut plurimum siccis semper utimur) vulnerariæ potiones, si earum succus exprimatur, fermentetur, depuratusque ægris exhibeatur.

Ad saporem, & odorem in huiusmodi potionibus conciliandum poteris aromata etiam adjicere, & cum aliis vulnerariis herbis decoquere, vel etiam post factam decoctionem, aquæ, vel olei essentialis aromatici parum miscere ad saporis, & odoris utque gratiam.

Poteris etiam simul cum alimento decocta vulneraria parare, si carnes,

vel pullos cum aquâ, vel vini spiritu quantum sufficit misceas, & ebullire finas. Vel etiam gelatinas ex carnibus, cum quibus simplicia vulneraria decocta sunt, conficias. Hujusmodi autem alimenta mirum est quantum ad glutinanda, & cicatrizanda vulnera valeant.

Demum adest alius modus adductus ab eodem *Paracels. cit. loco*, quo parari possunt vulnerariæ potiones cum vino absque coctura, ut si vindemiarum tempore sufficientem quantitatem præfatarum herbarum in musto ad defervendum indas, ac post tertium mensem supra aliam quantitatem herbarum in alio vase ponas, ut vinum omnem earum virtutem inducat, quo vino uti poteris potionum vulnerariarum loco.

Formulæ autem parandi eas variæ sunt, & pro ægri viribus; & exigentia, ut

℞. *Sanicula, vincaperuinca, centaurea, betonica an. m. j. consolida regalis m. ℥. agrimonia m. ij. decoquantur in lib. j ℥. vini opt. albi vase bene clauso, vel in lib. j ℥. aquæ fontis, cui adde spiritus vini alkoholizati ℥ij. m. f. decoct. cui admiscere poteris aqua, vel ol. cinnam. parum ad odorem gratum, & saporem conciliandum, sufficit per tres vices.*

Vel ℞. *Ophioglossi m. iiij. alchimilla m. ij. vincaperuinca minoris m. j. periclimeni m. j ℥. Rhabarbari ℥j. Rhapontici ℥ iiij. cinnam. ℥ ℥. contundantur grosso modo contundenda, vel minutim incidantur, & f. decoct. in lib. iiij. aquæ à spiritu vini impregnate, vel vino.*

Hæc decoctionis formula aliquantisper soluit alium, poteritque exhiberi pro qualibet dosi lib. ℥.

Ex quibus colligere poteris proportionalem methodum, nè dum vulneraria decocta, verum etiam omnia alia, quæ excogitari possunt, ut Venerea, nephritica, &c.

Hæ potiones vulnerariæ vim, & facultatem habent curandi vulnera, & ulcera, tam interna, quam externa; ut fusiùs de Vulneribus cap. de Potionibus vulnerariis egimus.

Potiones vulnerariæ naturale temperamentum conservant, intemperiem corrigunt, radicalem balsamum ad suam temperiem reducunt, & restitunt, celerique motu tum per universum, tum ad partem vulneratam, & ulceratam deferuntur. Sicque merito vim, & facultatem habent curandi vulnera, & ulcera.

Hujusmodi potiones, ut diximus, debent fieri in vase aliquo, cui aliquid adæquatè superimponi possit; nam herbis in vinum, vel in aquam projectis aliud vas superimponitur, & juncturas farina tritici cum ovi albumine subacta illine, ut vini spiritus, & herbarum volatilis essentia nullo modo aufugere possit, sed si in vas superius ascendat, iterum decidat. Sicque illinitis, & exsiccatis vasorum juncturis supponitur ignis, qui non sit vehemens, sit tamen æqualis per horæ spatium, post quod ignis à vase subtrahatur, & relinquatur, ut refrigescat: Cum frigidum est, aperiatur, & per linteum decoctum vulnerarium in aliquod vas mundum percola, leni tamen herbarum expressione, & bene conclusum servetur.

ART. ULTIMUS.

De Specificis quibusdam vegetabilium medicamentis.

EA vocant medicamenta specifica Hermetici, quæ ex natura sua alicui morbo curando tantum sunt appropriata, siue alicui parti nostri corporis, ex innata proprietate suæ essentia juvare sunt dicata.

Multa autem Chymicâ arte parabilia specifica describit *Paracels. lib. 7. Archidox.* ut odorata, diaphoretica, anodyna, stictica, &c. quorum mentionem hinc, illinc sparsim nostro innixi ordine in præsentî nostro spagyrico labore nos facimus. Hic autem tantum adducemus ea specifica, quæ Chymica præparatione minimè egent, quæque ex vegetabilium Regno desumuntur.

Et quidem primò à multis vegetabilium specificis remediis sedantur uterini motus, furores, &c. Et præ cæteris ad uteri suffocationem proficuum compertum habemus medicamen, quod describit *Paracels. cit. loco*, quod est fumus corticis ficus, qui dum per vulvam intrat, morbus curatur. Valet etiam ad menstrua provocanda absynthij, vel Artemi-

siæ succus exsiccat, & in forma pillulari pluries exhibitus. Sunt etiam quam plurima alia remedia, quæ tum ex mineralibus, tum ex animalibus desumuntur, quæ suis locis describemus.

Sic etiam habebitis specificum nephriticum ex Dauci semine, si ʒj. vino opt. albo coctam exhibeatis, vel pulvere tenus.

Habebitis etiam aliud specificum ad pleuritidem ex vegetabilibus, si flores papaveris erratici pulvere tenus ʒj. pondere in aqua cardui benedicti exhibeatis. Id efficit syr. vel tinctura. *Peonia radix* de collo suspensa epilepsiæ obnoxios liberat. Alia specifica passim reperietis, tum apud varios auctores, tum etiam ex mineralium, & animalium regnis, quæ suis locis dabimus.

Atque hæc satis sint adducta ad explendum quicquid adhuc librum spectat; nam ex his breviter adductis poterit unusquisque progredi ad aliorum medicaminum chymicorum è vegetabilibus præparationem. Omnes namque vegetantium essentias prosequi velle, non solum infinitum esset opus, verum etiam tædij, & nullius utilitatis plenum. His igitur paucis contenti, finem huic libro imponimus. Nunc sit



D. CAROLI
 MUSITANI
 IATRIAS PROFESSORIS,
 PYROTECHNIÆ SOPHICÆ
 LIBER QVARTVS.

*De Chymicis Magisteriis ex mineralium Regno
 præparabilibus.*

HUc usque igne exploratore vegetabilium Regnum
 percurrentes, eorum essentiæ medicamentosas vir-
 tutes, ac proprietates, quas pro humanæ naturæ re-
 parandis morbis in eis condidit rerum ille parens in-
 effabilis, perquisivimus. Nunc quid in mineralibus
 clausit creatrix illa benignitas immensa inquirendum; ibi enim nè
 dum inexhausti thesauri, quibus inexplabilis humana ambitio suos
 expleat cupiditatis ardores; verùm etiam summa arcana à tot, tan-
 tisque sapientibus quæsitæ, & à paucis acquisitæ, nec non creata
 illa ab Altissimo, malorum omnium curatrix medicina conditur.
 Tota namque Philosophantium per ignem schola sedula in mine-
 raliū perquisitione versata est, aut auri sacra impellente fame, ut
 chrysopopæium scilicet lapidem inde peterent, aut humanæ vitæ
 mortiferis impellentibus ærumnis, ut reparatricem eorum medici-
 nam

nam pararent. Mineralium igitur Regnum, & nos in hoc præfenti libro rimabimur, in eorum naturam, generationem, incrementum, & principium laborantes, & in eo quod ad medicaminum fecretiorem fpectat Chymicam præparationem juxta noftrum inftitutum, quibus fcilicet Medicam facultatem decorare, ac perficere valeamus, ac quò ad fieri poterit ad eorum cognitionem progrediemur; non quidem per inania verbofa vulgarium fcholaflicorum jurgia, neque per phantaflicas conjecturas; fed impetrato ab Altiffimo fapientiæ lumine, qui eft lumen luminum, & fons omnis cognitionis, & intelligentiæ, ut fcilicet illuminemur in tenebris, in quibus univerfa naturalium rerum fcientia jacet fepulta. Nil aftruentes, quod vel experientia non edocuit, vel fenfum exacta autopfia non confirmavit.

CAPUT I.

De Magifteriis, quæ ex falibus, & faliformibus omnibus mineralibus educuntur.

Mineralium naturam, generationem, incrementum, ac proceffum ad varias metamorphofes in naturæ finu, feu in terræ vifceribus hic non tantum, quoad fieri poterit, examinabimus; fed etiam, quod ad praxim fpectat, feu ad medicaminum præparationem per ignem perficiemus.

Verumtamen cum mineralium innumera fere fint genera; nam alia funt falia, alia alumina, alia vitriola, alia metalla, & hæc five perfectæ, five imperfectæ, alia lapides, gemmæ, &c. Hinc nos nè in tanta rerum varietate confundamur absque ordine procedentes, agemus primò de magifteriis, quæ ex falibus, & faliformibus omnibus parantur, idque quia, cum alia mineralia diver-

fam exigant fpagyrici ignis adminiftrationem, ac vegetabilia, & animalia, cum ut plurimum nè dum igne actuali, verum etiam potentiali, & fermentali indigeant, ut magifteria ex eis parari poffint; & cum potentialis ignis, five menftrualis, five fpiritus omnes fortes corrodentes ex falibus præcipuè educantur: hinc primò de falium magifteriis agendum, deinde ad alia mineralium genera tractanda gradum faciemus, fit igitur

ART. PRIMUS.

De Vitriolo.

Illud minerale aggredimur examinandum, quod *Paracelf.* opinionione, & fuafu integra medicamentorum

torum officina foret construenda. Dicitur *Vitriolum*, quia vitri ad instar lucidum est. Unde eò magis est perfectum, & nullius extranei mixtione suspectum, quò magis purum, lucidum, ac de vitrea veluti diaphaneitate participat. Dicitur *Atramentum sutorium*, quòd in inficiendis pellibus sutores coriarij usurpant. Dicitur *Chalcanthum*, derivatum nomen à voce græca *καλός*, quæ as significat, nam optimum est, quod ex are fit, cognosciturque quòd cultro affricatum rubeo colore tingit.

A quibusdam *sal mineralis & metallorum*, ait falsò, nuncupatur, cum sit corpus tribus constans principiis, sale, sulphure, & mercurio, & non uniforme, ut sal; Nam si vitrioli naturam, substantiam, & proprietates contemplerur, invenimus illud atherogeneum. Quòd ex tribus Chymicorum constet principiis, nulla indigemus demonstratione, cum sole id clarius sit; nam cuncta metalla in vitriolum resolvuntur, & iterum in metalla verti possunt, patet in vitriolo Lunæ, Jovis, Veneris, &c. juxta illud commune axioma: *Unumquodque resolvitur in ea principia, ex quibus constat.* Unde sequitur omne vitriolum esse metallum solutum, five ab uno, five à pluribus spiritibus acidis, & omne metallum solutum à spiritibus acidis esse vitriolum.

Hinc variæ sunt species pro diversitate minerarum, & metallorum, è quibus originem ducunt, discrepantes, Cæruleum, saphyri instar, præsertim cyprium, cupri, & auri soboles est: Viride martis productum: album ex argenteis mineris ortum

cognoscit; & intermixta plura juxta metallorum species tincta, de quibus plusvè, minusvè participant.

Quid verò vitriolum sit, quantum ad practicæ cognitionis complementum spectat, ipsamet docet Chymica experientia, ex qua patet nil aliud esse, nisi sal sulphuris embryonati ab indole metallica. Sal namque sulphureus metalli venam lambendo, ipsum erodit, unde facessit vitriolum. Id docet manualis experientia in vitriolo Martis, Lunæ, Veneris, &c. Præterquàm quòd si optimum arte parare velis *vitriolum commune*, naturam imitando.

℞. Aeris q. v. funde, & ei sulphur injice, donec flamma absorpserit. Postquam ita erit fustum, & sulphur combustum, confestim aq. pluvie infunde, unde virescit: Idque toties repete, donec as totum in aquam migraverit. Exhala tandem aquam, & vitriolum optimum habebis.

Unde habes, quòd id quòd ante cuprum erat, semel à sulphure corrosus, vitriolum producit, ex sulphure salem acquirens, & id quod sulphur erat, cupri erosione vitriolum fit.

Crescit etiam pari ratione vitriolum præstantissimum naturaliter in fodinis, in quibus natura sal acidum sulphuris, exurinum appellatum, producit, quod venam æris corrodens in vitriolum coagulatur. Dicitur hinc propterea cuperosum. Suam verò nanciscitur diversitatem, juxta diversitatem mineræ, quam erodit. Hinc omnium præstantissimum Cyprium esse fertur ob cupri, & auri mineram, sed plerumque solent mercatores vulgare vitriolum adul-

adulterare, & pro cyprio supponere, quod refert *Helmont.* destillavisse, nec nisi ignavum quendam spiritum ex eo elicuisse.

Adest vitriolum Hungaricum, Cyprium, Venetum, Romanum cognomento, &c. Nos Veneto plerumque utimur, quod debet esse lucidum, ad viridem tendens colorem, & extraneæ mistionis non suspectum; nam quandoque vena plumbi simul cum cupri vena miscetur, vel arsenicum, quod sæpe simul cum metallis obvium est in fodinis (dictum ob id fumus metallorum), hinc vitriolum, quod inde nascitur sæpe extraneæ malignitatis suspectum est, ac consequenter nocuum medendo; perfectio igitur vitrioli in puritate sulphuris consistit.

Plurimæ semper ex estimatione apud Philosophos extitit vitriolum, cum nobile, inter cætera, minerale, quod miris Altissimus decoravit dotibus. Ejus arcanum variis figuris ænigmaticis adumbrarunt, ut illa est. *Visitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.* Præ omnium literæ Vitriolum efficiunt simul collectæ vocum. Verum enim verò innumeris præditum est dotibus, ut non tantum ex eo plurima magisteria Chymica parentur, eò ut *Paracel. lib. de naturalib. rebus cap. 8.* asserat, quòd quoties vitriolum in aliam formam, & essentiam reducitur, toties peculiare arcanum ex eo hat; verum etiam absque ulla preparatione spagyrica ad plurimos languentium affectus valet.

Ulcera fœdida mundificat, & carneas excrescentias pulvere tenuis ab-

sumit. Est præstans errhinum naribus inditum. Interius vomitiones movet. Adversus hausta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur, & multis aliis succurrit morbis, jecoris potissimum, & ventriculi.

Ex Veneris vitriolo, sola calcinatione, ejusdem fit pulvis Sympathicus, Sole Leonis signum percurrente, ad albedinem usque eoque in pollinem redacto, cujus usus est in sanguinis fluore, seu hæmorrhagia, & in sympathetica vulnerum sanatione.

Insigne medicamen ex vitriolo ad inflammationem paratur ante incaptam suppurationem, absque eo quod in abscessum degeneret; incapta enim suppuratione in abscessum abire necesse est: nam sanguis coagulatus, vel grumefactus in naturæ gratiam redire non potest, vel resolvi, sed dum in pus acit verum potest. Ut

℞. Vitrioli com. ℥j. aq. ros. alb. vel com. lib. ℔. fiat in ea vitrioli solutio, & madefactis in hac aqua vitriolata tepida linceis, inflammationem fove, nam 24. hor. spatio inflammationem tollit.

Est in vitriolo vis magna anodyna, spiritum sedans, non autem refrigerans materiam coagulata, ut cap. de Inflammatione fusiùs dictum est.

Aliqui ex vitriolo concinnant aquam arterialem eximiis virtutibus præditam tali modo.

℞. Aq. Plantag. ℥ij. aq. ros. ℥℔. alum. rocc. ust. ℥℔. sacch. cand. drach. j. vitrioli opt. ℥℔. Urine pueri sani ℥j. m. omnia simul, & filtra per chartam empereticam, & serva in vase vitreo bene clauso, addendo spiritus vitrioli gutt. iv.

Inservit ad hæmorrhagiam vuln-
rum, tamen ex arteriis, quam ex ve-
nis, infundens in dicta aqua petias,
vel filamenta, & miraculi adinstar
sanguis fluens cohibetur. Sicut cui-
libet sanguinis profluvio prodest,
debito loco aquam applicando. Pro
sanguinis expuitione, dosis ʒʒ. pro
vice, bis in die cum aqua appro-
priata, vel syr. convenienti.

Per spagyricam vitriolum excru-
ciatum innumera exhibet medica-
minum genera, præcipua sunt spiri-
tus, oleum, magisterium, sal, &c.
de quibus singulis vitrioli præpara-
tionibus nobis hic sigillatim agen-
dum.

Et quidem primò spiritum, & oleum
vitrioli, ita vulgò præparare solent.

*℞. Vitrioli opt. q. v. ponatur in tigil-
lo, vel olla terrea vitreata ad ignem, ut
coquatur ad siccitatem usque, nam primò
liquefit, deinde sensim ebullitionem concipit,
deinde cessante ebullitione sensim instar
lapidis induratur. Tere in pulverem, &
retorta ampla impone ad medietatis reple-
tionem. Retorta opt. Sapientia luto lori-
canda est, ne dehiscat, aut rimas contra-
hat, vel spontè decidat. Retortam in apto
reverberij furno adapta. Eminens ejus
collum amplo recipienti opt. connecte, ut nil
expiret. Destilla tandem per gradus, &
sensim urge ignem per horas 12. donec spi-
ritus omnis destillabit, & fumi albi inci-
pient in receptaculum transire. Tunc re-
move receptaculum, & aliud collo retorta
opt. adapta, & urge ignem, donec nil
amplius destillet, & habebis ol.*

Recipientes autem collocatur in
arenâ madidâ, & sensim sacculum
aquâ frigidâ madidum applica, quò
recipientis convexa pars integatur,
ut refrigescat, vel etiam id fieri po-

terit petiis aqua frigida madidis.

Alij vitriolum prius in aquâ plu-
viâ solvunt, filtrant, & postea ad cal-
cinandum, seu rubificandum ollæ,
vel tigillo imponunt, & deinde de-
stillant præfato modo, tam spiritum,
quam oleum.

At quoniam nimis difficile est vas
recipiens sequestrare à collo retor-
tæ, flagrante adhuc igne, atque adeò
periculosum est, ne dehiscat, ut mul-
toties me eventus edocuit; hinc
faciliorem modum, nec non securio-
rem, adhibere soleo in destillatione
tam spiritus, quam olei vitrioli,
absque tamen vasis sequestratione,
& mutatione, candente adhuc igne
in medietate operationis: utor
namque duplici vase recipiente,
quorum unum in aliud expiret, quæ
simul optimè committo, & collo
retortæ applico. Ita enim in primo
vase spiritus congelabitur, in secun-
do olei magnam quantitatem, in
tertio demum, vel nullum, vel pau-
cissimum reperio; Atque adeò ean-
dem prosequendo destillationem,
habeo spiritum, & oleum vitrioli.

Ufus hujus spiritus est in feбри-
bus ardentibus, & malignis, præ-
sertim siticulosis cum appropriatis
syrup. aquis, & similibus vehiculis
mistus, & haustus, ardorem nimium
temperat, & sitim extinguit, quate-
nus sal, & excrementa febrifica ab-
stergit, & consumit. Est diureticus,
diaphoreticus, incidens, attenuans,
& putredini resistens. Utilis est ob-
structionibus hepatis, lienis, & me-
senterij, appetitui prostrato, &c.
Nephriticis summoperè prodest ex-
pellendo calculos; arenas, & muc-
lagines è renibus. Tincturas è rosis,

violis, & similibus extrahit. Cum aqua dilutus dentes dealbat. Aphthas curat, &c.

Dosis sunt gutt. vi. x. xii. &c. seu usque ad liquoris convenientem aciditatem.

Phlegma, quod elicitur in destillatione spiritus vitrioli ophthalmiæ succurrit, oris ulcusculis medetur, & fluxiones in fauces irruentes sistit. Inflammationi, & erysipelati tuto admovetur.

Helmontius aliam tradit vitrioli spiritus inusitatam destillationem, quæ spiritus vitrioli essensificatus, sive tota essentia vitrioli volatilis est. & summis virtutibus in medicinâ præditus, cujus processus talis est.

℥. Vitriolum commune non suspectum malignitatis peregrina, bulliendo in olla liquefac, & coque ad siccitatem usque, fracta olla, vitriolum instar lapidis induratum tere in pulverem, fieri autem vult ipse destillationem sex retortis vitreis simul opt. tamen loricatis. Optimè collum retortæ recipienti vasi connectatur nè tantillum expiret. Destilla tamen præfato à nobis modo, ministrando prius ignem per gradus, ac tandem urgeatur carbone, quantum possibile est furno venti, qui propria crate statur. Cum autem furnus venti cessaverit spiritum in vas recipiens dimittere. Pariatur à latere porticus, quæ via reverberium flamma lignorum subter retortam penetret, perseveretque per v. aut vi. noctes summo igne, natura possibili. Retorta videbitur tibi forsan liquari in tanta ignis procella, at nihilominus constans perseverabit: eò quod exterior lorica terrea vitrum detineat, combibatque atque ita invitrietur, quantum operi sat fuerit. Memineris tandem, vas recipiens à collo retortæ sequestrare, flagrantissimo adhuc

igne. Alioqui videbis refrigeratis vasis, spiritus redire in fecem, quæ illos expuit. Tum demùm accipe colchotar, sive fecem è destillatione residuam, quæ sulphuri commista comburatur usque in omnimodam sulphuris conflagrationem. Hanc autem dein irrorabis, & madesacies præfato spiritu. Qui uti statim imbibitur in cucurbita vitrea: ita inde repetitus, nil nisi phlegma aquosum, atque inutile reddit, remanso spiritu imbito in colchotare, idque repetitum renova sexies, aut septies, donec tamen spiritus affusus rubescat, qui supernatabit colchotari. Quod signum est, cessandum à saturitate imbibitionis. Adeoque dives colchotar, benè exsiccatum indatur retortæ, & destilletur usque in ultimos spiritus, jam flavescentes, olentes nulli grati odorem. Abstrahere vas recipiens à retortæ adhuc candente ob supra dictam rationem, & serva in vase opt. clauso cum cera, vel similiter obstructo.

In quâ re plura notanda occurrunt ad spagyricæ artis cognitionem conducentia, & quidem

Primò, essensificari vitrioli spiritum per iteratam imbibitionem ejus supra caput mortuum, & deponere inutile phlegma per attactum fixi colchotaris, & quò illud deponit, eò perfectior, bandior, puriorque evadit.

Secundò, pari ratione, medicinalia omnia Chymica suam nancisci perfectionem, dum ad summam essentia puritatem, & subtilitatem deveniunt; nam spiritus vitrioli hoc ultimo modo destillatus eò est purus, volatilis, atque essensificatus, ut si de uno vase in aliud transfundatur, ejus lib. j. ferè 3j. deperdatur.

Tertiò, hunc vitrioli spiritum sua puri-

puritate, & subtilitate esse facilius permeabilem, ideoque multos morbos curare, & præsertim epilepsiam, quartanam, hydropem, aliosque contumaciores affectus.

Quartò, eò medicamenta esse activiora, quò sunt subtiliora, ac puriora; nam vulgaris vitrioli spiritus penè nullius est efficaciam, eò quia multam impuri, & inutilis phlegmatis copiam secum admistam habet, adeoque veri spiritus minimè indolem retinet, sed est veluti minerale acetum; præfatus verò spiritus sua puritate, quatenus volatilis, ac falsus est, ita rectificatus pergere usque in quartam digestionem valet, resolvendo quæcumque excrementa morbosa in itinere obvia, & per consequens, quatenus tollit causas occasionales, plures morbos chronicos curabit, conveniente dosi in iusculis, julepis, &c.

Aliqui in vitrioli spiritu conficiendo, nullo adhibito delectu, sive purum, aut impurum sit vitriolum, homogeneous, an reliquis mineralibus inquinatum, destillationi subiiciunt, verum totus rei cardo in eo consistit, ut levi pretio talia medicamenta divendi possint, & vitæ, ac sanitatis potius, quàm æris, fiat dispendium. Tacemus fraudes, quæ committuntur, dum vitriolum adulterant, alumen, & nitrum illi subreptitiè admiscendo, quò majorem spiritus copiam eliciant, confusumque cahos divendant. Sed non tacebimus id, quod aliqui omni Dei timore, & proximi charitate exuti, patrunt, aquæ fortis ℥j. aquæ fontis ℥ij. immiscendo, divendantque pro vitrioli spiritu. Non interim consi-

derant, an salubris, an corrosivus, & causticus sit spiritus. Si incurios Medicos decipere possint, judicet is, qui in Chymia expertus est. Nec mirum si promissis spagyrica medicamenta non respondeant, & nobilissima ars in dies vulgi ludibrio exponitur.

Ex capite mortuo paratur sal quod vocatur etiam *sal colchotar*, & *sal vitrioli*. Dicitur namque caput mortuum residuum à destillatione spiritus, & olei vitrioli colchotar, cujus sal hoc pacto paratur.

℥. *Caput mortuum vitrioli, sive vitriolum ad rubedinem usque calcinatum, perfunde in aquam fontis calentem, digere per. 2. dies, deinde filtra, aqua adhuc calente, toties donec aqua limpida appareat. Filtratam aquam evapora ad medietatem, vel usque quò cuticula supra eam appareat. Remove ab igne, ut refrigescat, & crystalli dabit, quas collige, & aquam iterum supra dicto modo evapora, ut crystallizetur sal, atque ita procede usque ad ultimam aquæ evaporationem, & crystallizationem salis.*

Potest etiam ex vitriolo crudo hoc eodem modo sal, sive vitriolum vomitivum confici, si in aqua calida solvatur, filtretur, &c. ut de colchotate diximus.

Tertiò Angelus Sala hoc alio modo parat *Vitriolum vomitivum*.

℥. *Vitriolum romanum caruleum q.v. reduc in pulv. & supra chartam in loco calido, sive in radiis solaribus pone, ut probe exsicceetur. Solve illud postea in aqua communi, & mediis filtrationibus à fecibus libera. Solutionem evapora ad tertie partis consumptionem. Vas in locum frigidum colloca, ut crescant crystalli: crystalli recipe, & solutionem iterum evapora. Idque*

ter, vel quater repete donec omnes crystallos deponat.

Hæc, & alias falis vitrioli præparationes adducunt varij auctores, quæ nihil aliud sunt, nisi vitriolum vivificatum, & purificatum, quod minimè intra corpus assumendum est; habet namque indolem suffocantem. Interno usui, vitriolum album, destinatur, prius tamen repetitis solutionibus probè purificatum, ut

℞. Vitriolum album, dissolve in aqua pluvia, filtra, evapora ad pelliculam, relinque in frigido per dies 4. fient crystalli, exime, iterum evapora, ut antea: hic labor ter reiteretur coagulando, & dissolvendo, ultimò ter eodem modo procede cum aqua ros. crystallos in parvo calore exsicca, & spontè in pulv. album redigentur.

A Paracels. lib. de naturalibus rebus c. 8. Gryllus, ab aliis Gilla appellatur, estque lene vomitivum, quod ad multos morbos depellendos commodè usurpatur, ut in initio febrium ferè omnium, cerebrum purgat, epilepsia medetur, vertigini succurrit, aliisque cerebri symptomatibus ex corruptis, & acerbis ex ventriculo sursum actis vaporibus ortis. Item in pleurisi, lipothimia à repletione humorum corruptorum, cardialgia; item in hepate, & liene obstructis mirificè prodest. Lumbricos etiam enecat, prostratumque appetitum conciliat. Purgat tam per vomitum, quam aliquando per inferiora.

Dosis Paracelsi est quantum sex vicibus supra cuspidem cultri comprehendendi potest; alijs ℞j. nos verò usque ad ℞j. perspectà ratione virium, & morbi, felici cum successu exhibuimus.

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

Colchotar autem neque inutilis est, sed in medicina adhuc aliquos habet usus; pollet namque vi astringente sticticâ, & emplasticâ in ulceribus consolidandis, & suâ vi sticticâ adstringente sistere valet hæmorrhagiam sanguinis, tam in vulneribus, sicut etiam ex naribus. Intus verò minimè debet usurpari, ut loco cit. inquit Paracels. nam vomitiones movet ob vitriolicum sal, quod in se continet. Quod si interius usurpare velis.

℞. Caput mortuum vitrioli, vel vitriolum ipsum ad rubedinem calcinatum, & per solutiones varias aqua dulcis libera ab omni suo sale, & exsicca.

A Fabro terra exanimata vitrioli, & ab aliis corpus examine vocatur, cujus præstans est usus in Diarrhœâ, & Dysenteria. Dosis ℞j. ad ℞ss.

Vitriolum suum habet sulphur, unum dulce, alterum verò anodynum, seu narcoticum. Sulphur dulce ita paratur.

℞. Vitrioli puri q. v. solve in aqua calida, solutioni affunde guttatim ol. tartari (alijs lixivium ex cineribus clavellatis), & præcipitabitur sulphur vitrioli, quod edulcoratum serva.

Confert pulmonum affectibus, mundificat ulcera putrida, cicatricesque inducit.

Sulphur vitrioli anodynum, sive narcoticum ita parabis.

℞. Limatura martis purissima p. j. Vitrioli Hungarici cerulei, aut vitrioli Veneris p. ij. tere, & m. omnia, postea in cucurbita superfunde acetum destillatum, ut superemineat dimidium digitum transversum, coque, & coagula lento igne arena ad siccitatem, quo facto, urge ignem, ut omnia rubeant. Vasis refrigeratis, materia

P

riam

riam exime, tere, & affunde acetum destillatum, ut ad tres digitos supernatet. Quo facto, digere biduum, aut triduum; donec nempe acetum bene coloretur, quod postea decanta sine facum perturbatione. Rursus affunde aliud, donec omnis tinctura extracta sit. In hoc tincto aceto delitescit sulphur vitrioli combustibile. In acetum tinctum, & filtratum insperge guttas aliquot ol. tart. per deliquium facti, & sulphur narcoticum fundum petet, quod aqua communi sepius ablue, donec aqua non amplius acredine, aut gustu vitrioli insciatur, hoc n. nisi fiat, propter salis vitrioli presentiam nauseam, vel etiam vomitum efficiet; post ipsum siccandum, & ad usum servandum.

Anodynum est insigne, & reliquis omnibus merito anteferendum: quodque Paracels. summoperè commendat, & magni æstimat. Narcoticis compositionibus admisceri potest.

Atque his principalibus, & magis comprobatis operationibus vitrioli, hunc complemus articulum.

Alias reperietis apud alios aucthores, vel arbitrio commentas potius, quàm experientia comprobatas; vel cum hisce à nobis adductis confundi comperietis; nunc sit.

ART. SECUNDUS.

De Sale Communi.

SAL examinandum aggredimur, non tamen illud chymicorum principium, sed minerale, ex tribus conflatum, sulphure, quod ratione caliditatis, & igneæ substantiæ habet; mercurio, quem ratione humiditatis continet; Sale, de quo

in summo participat, ratione ficietatis terrestris. Triplicem in naturâ cognoscimus salem, vegetantium, mineralium, & animalium, quatenus ex triplici regno elicitur. Sal commune; seu minerale triplicem in hoc orbe habet ortum, unum dicitur fontanum, aliud marinum, aliud uerò montanum, seu minerale; fontanum, & marinum arte decoquuntur, minerale verò à sola natura mediis in montibus coctum est.

Ipsa observatio varias salis communis pandit proprietates; nam talis est salis necessitas, ut absque sale naturali naturaliter homo vivere nequeat: proinde hoc opus habet in omnibus cibis. Etenim sal naturæ balsamum est, quod corruptionem arcet calidi sulphuris cum humido mercurio, ex quibus homo naturaliter est compactus. Cum prima principia, & quodlibet sibi simili nutrirî oporteat, sequitur hominem ad sui sulphuris interni sustentationem ardentibus uti cibariis, humidis ad mercurium tuendum, & salis ad sal in condenti facultate conservandum. Ejus conservationis virtus in eo maxime conspicitur, dum carnes emortuas à putredine diutissime conservat, quanto magis vivas præservabit, judicare facile fuerit. Sal est ciborum correctio, nam si non intervenit, in his nulla est etiam correctio, quos quidem estò stomachus receperit, decoquere minimè potest; est enim in sale expulsiua virtus in secessum, vel in urinam, quæ duo nisi conserventur in suo cursu naturali, omnes vitæ facultates frustrantur viribus expulsiionis. Sanguis natura propria falsus est, & insulsus non.

non recipit nutrimentum, quod si quandoque recipere coactus sit maxima quadem inedia, hoc in corruptionem abit. Ut igitur hoc vitetur vitium, ordinatum fuit alimentariis cibis sal addititium, nè meatus naturales obstruantur, membraque suis debitis fraudentur nutrimentis. Præterea latet in sale facultas resolutiva oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per resolutionem in urinam expellendi; Nam urina cum sit sal cruoris tantum id est, sal dumtaxat ex sale naturali, quod naturale cum sale microcosmico associatum per conjunctionem, simul ambo maximè faciunt ad excrementorum expulsionem: hinc sudor, lacrymæ, saliva, & quidquid ex humano corpore expulsionem recipit, salinam indolem redolet. Sal venerem stimulat, prolificumque semen reddit, ob id Ægyptij canes inertes ad coitum salsamentis, carnibusque sale maceratis ad Venerem alacriores reddebant, hinc Veneri dediti salaces dicuntur; propterea Venerem è sale natam finxerunt Poëtæ. Balsamicam salis vim perpendens *Paracels. lib. 1. de naturalib. reb. cap. 4.* docet in aquâ solutum vulnere esse balsamum, ulcerum vermes enecare, atque à corruptione præservare asserit, ac à scabie mundare, si in balneo congi-ciatur scabiosus, eo lavetur, &c.

Sal ubique locorum secundum magis, & minus reperitur, & hoc ex provido naturæ consilio; nam ex sale, quem in se terra habet, ejus fertilitatem, & fecunditatem pendere: quo orbata statim sterilefcere sat, superque diximus.

Sed hæc positio videtur potius experientia, rationi contraria: si quidem loca ubi sal scinditur, vel effoditur, cæteræque salinæ sterilissima sunt, quippè sal exurenti suæ acredine fecunditati prorsus resistit. Imò quia sterilitatis hieroglyphicum, ideò Principes solo æquatis civitatibus, quas sæpius rebellatas sub imperij ditione continere, nec poterant, nec expediebat, aratro superinducto, sale aspergunt, ut vel ipsa tellus improborum, & facinorosorum mater sterilefcant, justæque ultionis pœnas experiatur; Itidem quemadmodum speciali gratia obsecundante omni abundantia loca complentur, ita flagitiis irritata omnia calamitatibus & infortuniis agitata, tandem perpetuò concidere necesse erit.

Attamen huic objectioni facillimè occurrimus. Certum est salina loca infæcunda esse, sed hoc quia sal cum plusquam nullibi copiosius abundet, ideò sua præpotenti vi attractiva, qua refertus magis, magisque pollet, germinante n, & fecundum terræ salem totum in se attrahit, & imbibit, quo orbata, sterilefcit. Similiter Principes salem imitati rebellis civitatis cuncta ad se convertentes infæcundam, omnique ubertate denudatam derelinquunt.

Nos verò existimamus experientia, & rationi magis consonum videri illud nempe: salem esse principium omnis fixationis, & soliditatis, unde fit salem communem, tam in fodinis progenitum, quam industria factitium (qui mineralis etiam dici potest, cum aqua maritima à fodinis in ipsa stantibus, salsa reddatur)

quò plus elaboratur, eò particulis magis solidis, & compactis constare: Sal verò terræ fecunditatem continens est magis fufum, & tenuibus partibus componitur, ita ut quolibet fermentitio motu exaltetur, & in plantam germinescat, nam alkalium indolem retinet; ideoque terra alkalibus resperfa uberior fit. Clarum redditur hoc, nam si sales alkali in retorta positi tenui ab igne agitentur, illicò in aquam ascendant, quod idem accidit in sale à terra arte Chymica separato, quò deinde orbata, sterilefcit: Unde patet de alkalium specie esse. Contrà verò sal commune in igne perpetuò fufum persistit, non secus ac aurum, quòd si spiritum ex ipso elicere velimus, non nisi aliquo menstruo intermisto, quod cuneum appellamus, assequemur. Illud ex hac salium anatome oritur, salem communem fixare suprâ se salis germinantis terræ partes, & tenaciter intra se cohibere, quippè volatile supra fixum agens fixari apud omnes est inconfessò, unde fit illas ineptas esse ad plantæ ortum.

Ex sale communi multa concinnantur medicamina, & quidem primo chymicorum vulgus diversimodè ex eo parat spiritum valdè acrem, *Beguinus* in suo tyrocinio refert; nos verò omissis aliorum erroneis parandi spiritum salis modis, breviter nostrum ex propria industria comprobatum dabimus, ut

℞. Salis communis opt. depurati, & decrepitati p. j. boli com. p. ij. tere omnia subtiliter, & m. per minima invicem, & ampla retorta, & firmè luto munita impone, ut tertia ad minimum pars rema-

neat vacua. Et in furno reverberij juxta processum de destillatione spiritus vitrioli dictum, destilla usque ad ultimos spiritus, amove recipiens, calente adhuc igne, & spiritum serva.

Hic est modus destillandi salis communis spiritum, cui destillationi adjicitur bolus communis, vel terra figulina, vel etiam laterum farina, ut salis partes per minima ad invicem discontinuantur, ut faciliùs ignis activitate possit cogi in spiritum; nam sal semel fufum omnem eludit ignis activitatem, atque diù in igne perseverat absque eo quod in spiritum resolvatur: boli autem partes per minima inter salis particulas interjectæ, fusionem inhihent, atque adeò sal faciliùs in spiritum cogitur. Quod omittentes, vel non videntes plures spagyrici in salium destillatione, omnem laborem, atque operam frustra terentes, vix ignavum phlegma è salium destillatione elicere.

Quæ boli, vel terræ figulinæ mistio observanda est, nè dum in salis communis destillatione, verum etiam nitri, & omnis alterius fusibilis salis spiritus extractione; præterquam in destillatione vitrioli, aluminis, & similium, quæ terram mineralem secum admistam habent, quæ boli munere fungitur; adeoque dum destillantur, boli admistione non egent.

Cujus spiritus vires potenter usurpantur, tum interiùs, tum exteriùs; optimum namque est præsidium urinæ ardoribus, ac renum præsertim dysurias solatur, calculos, & mucilagines renum per urinas resolvit, ac exturbat, sitim extinguit, putredini resi-

resistit, hydropicos juvat, nec non lumbricos, & ascharides enecat. Exteriùs verò inunctus sanat membra luxata, contracta, paralytica, apostemata, dolores, ac tophos podagricos mitigat, & discutit, si cum ol. terebinth. vel ceræ misceatur. Dentes dealbat, &c.

Dosis est gutt. i. ij. vel iij. usque ad ℥ss. in iusculis, syrup. &c.

Lapides, corallia, uniones, durioraque corpora solvit, ritè præparatus aurum ipsum aperit.

Parant etiam crystallos aliqui post supra dicti spiritus extractionem, dissolvendo massam in fundo retortæ residuam, filtrando, & ad tertiam evaporando, ac in frigido aëre asservando, ut crystallos producat, quas si dulciores desideras, iterum solve, & coagula, & quò pluries id efficies, eò dulciores habebis; quarum usum commendant in apepsia, inappetentia, nausea, & alia pleraque præstant miranda in ventriculi morbis.

Jaëtabunda nimis apud Chymicos est ostentatio de spiritu salis dulci; sed hæc nunquam demonstrari potest, cum dulcedo non proveniat ab ipso sale, sed à spiritu vini, quem admiscent; unde ita parant.

℥. Spiritus salis opt. dephlegmati, & spiritus vini an. destilla ter, vel quater, ut inseparabiliter uniantur sic subtiliatur, & dulcescit.

Est egregium in peste præservativum, arcet n. omnem putredinem. Ventriculum cum reliquis visceribus in optima conservat dispositione.

Emunctiores verò spagyricæ artis Professores altiùs per ignem salis com. naturam trutinantes, potiora,

& nobiliora ex eo parant arcana.

Et quidem Theophrast. Paracels. varias parandi arcani salis vias describit in Archidox. tamen in una spiritus ejus essensificatione per depurationem ab inutili, ignava phlegmatis parte, nec non infixi volatilizationem conspirant.

Essensificatio spiritus saliam, per depurationem ab inutilis phlegmatis portione traditur lib. 4. Archidox. sequenti modo.

℥. Salia, quæ calinabis opt. si volatilia sunt adures, postmodum resolvantur in tenuitatem, & in aquam destillantur. Aquam hanc in putrefactionem ponito per mensem, & per B. destillato, & ascende aqua dulcis, quam abjice. Quod ascendere noluerit, iterum in digestionem ponas per mensem alium, & destilla sicut prius, ac toties, donec amplius dulcedo nulla percipiatur.

Qua via parari inquit essentiam quintam salis, ea proportionem ut ex calcinata lib. j. salis, vix ℥ ij. essentia quintæ habeantur.

Essensificationem verò salis spiritus per fixi volatilizationem tradit lib. 8. sub nomine salium elixiris, ubi eam describit, ac demùm lib. x. eandem magis declarare videtur, ita verò in hac operatione procedi potest.

℥. Sal opt. præparatum albiss. & mundiss. hoc in pellicanum ponatur cum aque solventis, sive spiritus salis destillati tanta quantitate, ut sexies pondus illius superet. Digerantur in fimo equino simul uno mense: postea destilla calore balnei, ut phlegma egrediatur. Deinde igne potentiori destilla ad ultimos usque spiritus, iterum affunde, ac eodem modo destilla usque ad omnimodam salis volatilizationem.

Demum Joan. Petrus Faber lib. 3. Myrothecij spagyrici cap. 11. ita procedere videtur in extractione quinta essentie salis communis.

℞. Sal com. decrepitatum, postquam decrepueris, solve in aqua fontana limpidissima septies destillata. Hanc solutionem filtra, ut opt. depuretur, & evaporabis ad siccitatem, quod toties itera donec solutio sit opt. depurata, & sal opt. exsiccatum, tunc imponere retorta opt. luto munita, ut spiritum extrahas modo quo supra diximus, destillatum spiritum rectifica, & à phlegmate quantum fieri poterit liberetur, & conjunge cum pari pondere salis ex residuo magmate in fundo retorta remanso, modo quo supra diximus. Sal verò sit opt. depuratum, donec levissimo solvatur igne, ut cera, vel ut butyrum, & rubeum acquirat colorem, & dulcedinem summam, & sic ambo conjuncta digere in B. per mensem unum in retortâ obturato ejus osculo, donec spiritus colorem acquirat rubeum, & extrahat salis sui tincturam, & solvat cum solutione firma, & physica; tunc demum destillabis, & omne volatile facies, & rectificabis ter, aut quater, & recondes ad usum. Deinde totam hanc operationem veluti resumens, inquit: Ut habes absolutam salis essentiam, dissolve salem tuum opt. depuratum in spiritu salis rectificati, & hoc omne conjunge cum pari quantitate spiritus vini alcoholizati, putrefac, & destilla, & purifica, & purum, & homogeneous conjunge simul, & serva.

Ufus hujus arcani, & vires omnium ferè morborum sunt curativæ; primò enim præservat ab omni corruptione corpora omnia, tùm viva, tùm mortua, adeòque est balsamum vulnerum omnium, & ulcerum. 2. Arcanum est summum in expellendo

vesicæ, & renum calculo, & agglutinandis colli vesicæ, & renum ulceribus 3. Est omnium viscerum obstructionum aperitivum, & curativum. 4. Purificat omninò sanguinem ab omnib. sordibus extraneis; unde in curandis febrib. nihil est efficacius: tollitque ideò lepram, scabiem, impetigines; lentines, ignem sacrum, herpetem, aliosque sanguinis, & cutis affectus, Hinc eadem vi omnium coagulatorum humorum resolutiva p. n. tumores omnes externos, tùm frigidos, tùm calidos curat, frigidos sola perunctione discutit, calidos autem ad maturationem, & suppurationem brevissimo tempore perducit. Arthritidi, & ejus dolorib. prodest, tophos, & nodos dissolvit; nervos fovet, calorem naturalem adauget, ac demum cum sit mirum præservativum suâ vi vitæ longæ est arcanum.

Dosis est drach. j. usque ad ij. in aquis cinnam. jusculis, & similibus vehiculis quacunque hora secundum necessitatem, pro reparanda autem juventute mane jejuno stomacho secundum Fabri sententiam. Nos remur minori dosi primis vicibus usurpandam esse, deinde verò potest sensim augeri dosis, prout observatio demonstrat.

Datur sal gemmæ, quod est genus salis communis, & in fodinis lapidum frangitur, specieque crystallorum splendens eruitur, unde gemmeum à gemmis ob colorem nuncupatur; aliàs dicitur sal fossile. Easdem, & si hoc habeat vires cum sale communi, sustituique eidem possit, rarioris tamen usus est in praxi Medicâ; crebrioris in Chymiâ, ubi

ubi solutionibus metallorum sale communi antecellit. Eo utuntur medici vulgares ad stercora dura eliquanda, adeoque ad colicam, & tormina arcenda.

ART. TERTIUS.

De Sale Nitro.

Est, & aliud salis genus, quod nitrum dicitur, & à spagyricis variis insignitum fuit nominibus. A quibusdam *Cerberus Chymicus* vocatur, quia triplici modo præbet universale menstruum, quo vegetabilia, mineralia, & animalia resolvi, meliorari, & exaltari queunt. Dicitur *serpens terrenus*, quia in terra vivit, & estò è terra elicitus, & veluti deposuerit spolia, post aliquod tempus terra affluenter illud reproducit, ut antea, ob insitum principium. Vocatur *sal petra*, propriè autem sal terræ magis dici meretur, cum ex terra immediatè decoquatur. Dicitur tandem *sal infernalis*, quia totus inflammabilis, & igni immediatè injectus, in ignem veluti conversus, totus avolat.

Tanta oritur ex nitri cum sulphure compositione violentia, ut qui eorum miscela concinnatur *pulvis pyrius*, seu *bombardicus* (execrandum venenum omnium venenorum violentissimum!) non tantum extemplo viventia sternit, verum etiam eorum vis unita tanta est, ut horrendæ tempestates, ac urbium, montiumque summersiones iis adscribantur.

Unde tanta sulphuris cum nitro violentia progignatur demonstrare

operæ pretium ducimus, tum ut eorum naturam noscere, & contemplari possimus, tum etiam ut pyrii pulveris portentosi effectus, quo pacto oriantur, ostendam us.

Nitratum pulverem ex sulphure, nitro, & carbone componi cuilibet notum jam est.

Sulphur præcipuè constat substantia quadam ætherea non difficilè mobili, & inflammabili, itemque oleaginosa, nec sale, (vitriolicum est, ut in ejus oleo experimur) omnis fixationis principio, terræque abundat; unde fit, ætheream substantiam, seu sulphuream nimis exaltatam intra salis, terræque particulas subsidere; ac proinde igni admotum, vel quolibet motu in flammam facilè prorumpit, ut in superioribus adnotavimus.

Nitrum verò sale sulphureo abundat, attamen sal præcipuum est: etenim diu fustum igni resistit, ejusque spiritus non ascendit, nisi bolus intermisceatur, nec per se accenditur, nisi carbonem injicias, aut sulphuri commisceas; quod subita cum flammæ eruptione, & sonanti strepitu circumjectum æthera propellit, illudque veluti magnus folis abigit, expoditque unde ventus, sonitusque progignitur: ejus impetus sæpissimè fustum salem extra vasis crepidinem ejicit. Hoc ideo evenire docemur, quia sal utpotè fixationis omnis causa, sulphur intra se tenacissimè velut in vinculis cohibet, ut propterea adventitio sulphure nitri sulphur adjutum, viribusque validius factum, vincula, & ergastula disumpat, suisque implexibus liberatum, amplior rem locum appetat; Etenim salis

partis

particulæ ex se sulphuris, & spiritus particulis uniri expetunt, magnamque cum illis affinitatem habent: Unde videmus salem volatilizari, cum sulphuris, & spiritus major pars in salis composito permanet, hoc non eveniret, nisi salis particulæ ascensionem alioquin ineptæ sulphuris, & spiritus particulis statim unirentur, & ab illis ad capillum unâ traherentur.

Carbo tandem multos meatus antequam incenderetur, habebat, quos postea magis latos multa crassarum partium evolatione acquisivit, intensior quippè fumus vaporibus immistus exhalavit, itidem carbo multum ignitorum feminum, seu sulphuris intra suos poros claudit, quippè ex abundantiori fumo, & vaporibus prius exhalatis arguitur reliquas carbonis partes majori, & puriori sulphure exaltato abundare, nam fumus rarissimus conspicitur, qui potius halitus dici debet, ut in papyro carbonizata experimur serpenti, & celeri motu excurrentes ignis particulas, donec sulphur residuum absumatur, & cineritius quidam color in materia relinquatur, & rustici linteo carbonizato pro fomite utuntur, Sal quoque inest, Alkali nempe, & terrestris pars, unde ex his.

Facile pyrij pulveris subita accensio cum horrendo fragoris impetu clara reddetur. Quippè medio aquæ vehiculo per minima hæc tria cohærent. Sulphuris communis particulæ, quia magnam affinitatem habent cum illis sulphuris nitri, atque sal nitri ex se petat uniri cum sulphure, ut diximus, fit inde bene invicem

cohærere. Carbonis permistio sua semina ignifica huic misto largitur, unde fortior vis sulphuris redditur, subitæque accensioni apta: Sal illud carbonis cum sit alkali pronior est ad motum, quàm illud nitri. Subeunt hæc omnia nimis latos carbonis poros (utuntur carbone nucis avellanæ, qui laxior est) inque sua terrestri parte continentur. Cum autem ignis pyrio pulveri admoveatur carbonis sulphur, quod veluti fomes est, illicò incenditur, sulphur commune, & nitri è vinculis salis intra quæ cohibebantur, totum simul liberat, illisque disruptis, liberiores petunt locum, unde circumjecta corpora magno cum impulsu prosiliunt, & propelluntur, ideo ingenti cum aëris circumstantis sonitu, & violento flatu effugiunt.

Talis pulvis in exiguas pilulas debet formari, ut sulphuris particulæ omnes illicò incendantur, quod si crassior esset massa, prius in superficiem, deinde ad interiora penetraret, quod multum exigeret temporis, ut in fulgure crassa, & durata pyrij pulveris massa confecto experimur; non enim per aliquod temporis spatium per liberum aëra excurrentes accensum perduraret, si in granulos pulvis permaneret. Tota hujus pulveris materia evolat in auras, nec quid fixum relinquit, etenim salis particulæ ex se uniri cum sulphure postulant, & secum unitæ cum illo impetu rapiuntur.

Nitrum nihil aliud est nisi pinguedo terrestris, saliformis, quæ trans poros terræ permeans, est veluti plantarum, lapidum, aliorumque corporum materia proxima, fecundi-

cunditatis terræ etiam causa. Nam in id fatifcentia, media putrefactione, corpora resolvuntur, & ex eo cuncta, quæ in terræ græmio generantur, producantur tanquam ex materia. Ea enim telluris pars ubi multa vegetabilia, vel animalia putrescunt, est nitro feracior, & abundantius ex ea elicitur. Unde solent nitri collectores ex ea terræ parte illud elicere, ubi jumentorum, ovium præsertim stabula fuere, eam aqua elementari lavando, aquam filtrando, & exhalando, donec in superficie pelliculam producat, & tunc talem aquam injiciendo in vasta vasa lignea, ubi talis aqua, dum refrigeratur, congelatur in ea salnitrum in strias glaciei adinstar. Terra tamen est ejus matrix falsedinem urinosam jumentorum sibi similem reddens vi fermenti sui proprii nitrosi, terræ insiti. Nec nisi nitri beneficio saginantur arva, dum fimo stercoreantur. Nec Neapolitanorum horti tot redderent olera ad habitantium epulas propria, nisi perquam optime stercorearentur.

Distingunt aliqui salnitrum à sale petra, quatenus salem, qui purior est, & mundior ab omni re aliena, vocant ipsi nitrum, qui verò mistus est cum copia salis communis appellant sal petra, quæ differentia non est essentialis, sed accidentalis secundum magis, & minus. Unde probatio nitri ita peragitur: projice sal nitrum in carbonem ignitum, si omne avolaverit, purum judicatur; è contrà verò si aliquid remanserit, quantum remansit, tantum de sale communi participare existimatur.

Alij aliam assignant nitri differe-
D. Car. Musitani Pyrotechnia.

rentiam, aliud fossile, seu minerale esse inquit, & hoc etiam diversum est pro diversitate loci, ubi colligitur, nam aliud ex Nili inundationibus, & fluctuum exsiccationibus in Ægypto spontè nascitur, ubi magna nitri copia accipitur, unde dicitur nitrum à Nitriâ Ægypti regione in quâ copiosissime elicitur. Aliud verò in multis mineris spontè enascens colligitur, quod etiam *Borax*, & *Chrysocola* dicitur. Alia verò nitri species factitia est ex terræ lotionibus excerptæ, ut supra diximus, & hujusmodi nitrum dicitur etiam quandoque ab aliquibus *Aphronitrum*, quod est summe purificatum. Aliud tandem est nitrum naturale quod spontè in parietibus, & antiquis ruderibus nascitur, quod est perfectissimum, & in ignem injectum totum in flammam evolat, perfectionis signum, quod de sale communi non participat; tali nitro naturali nostra Calabria est uberrima. Verum in usu Medico, quia caremus hic naturali, venit tantum factitium nitrum; fossile autem ab aurifabris potissimum tractatur. Nos verò dum de ejus variis operationibus hic agimus, tantum factitio utemur.

De Nitri qualitatibus haud parum convertitur: sunt enim qui frigidum existimant, quia in corpore humano frigidas edit operationes, calorem scilicet fugando, vel alligando: Sunt, & qui calidum judicant, quia revera est sal sulphureum, inflammabile, nam non solum operationes edit igneas in Chymia, sed omnes commotiones, & meteorologicas impressiones, tum

Q

sub-

subtus terram, tùm supra aërem gignit.

Ex nitro, non secus ac de sale communi, ut supra diximus, spiritus elicitur valdè acer, & mordax, basis aquarum fortium, quibus auri fabri in auri, & argenti separatione utuntur. Is vehementissimus est, & totus igneus metalla, & corpora quæque dura penetrans, vim habet ea calcinandi. Illud tantùm animadvertendo, quod nitrum non decrepitatur, sicut sal commune, sed usque ad summam siccitatem, & quandoque ad proximam fusionem est exsiccandum, & deinde retortæ indendum, & destillandum juxta methodum in destillatione salis communis descriptam.

Usus ejus quoque est analogus spiritui salis communis; valet namq; in colicâ cum æquali spiritus vini parte, febribus omnibus siticulosis, pleuritide, angina, & prunella cum convenientibus jusculis, syrup. &c.

Dosis est ℥j. usque ad 3j. prius tamen purgato corpore, & observatis virium robore, & natura morbi; attamen nisi in pauca quantitate propinabis, ventriculum corrodere solet.

Possunt quoque ex capite mortuo elici crysalli eodem modo, quo supra diximus de sale communi; attamen si ritè operatus fueris, nihil extrahes, quia nitri lib. j. spiritus tantundem reddit. Eosdem ferè habent usus, ac crysalli salis communis.

Fit ex nitro magisterium, quod *sal prunellæ* dicitur, eò quòd prunellæ est veluti anditotus. Vocatur *lapis prunellæ*, *anodynum minerale*, sequenti conficitur modo.

℞. Salis nitri opt. depurati lib. j. funde in crucibulo, & dum est opt. fustum, projice in eodem crucibulo sensim flor. sulphuris 3j. in plures vices, agitando cum spatula ferrea, usque quòd sulphur totum combustum fuerit. Projice deinde supra marmor, ut concreseat in crystallos, & serva.

Usus ejus præcipuè est in prunella, angina, & faucium omni inflammatione, in laxitate, putredine, & exesione gingivarum. (Ubi in gargarismis solui debet). Præstat in febribus ardentibus, putridis, & malignis, phlogosin viscerum naturalium, tùm, & cordis contemperat, & à putredine præservat, & sitim mirificè extinguit. Nos experti sumus in pleuritide, & peripneumoniâ, dolore nephritico, & gonorrhœâ.

Dosis est 36. usque ad 3j. in syrup. Julep. jusculis, & aquis appropriatis.

Externè in topicis anodynis, ac refrigerantibus, ubi præcipuè solvitur in liquore appropriato, cum linteo. Nos experti sumus ad morphæam nitrum dissolutum cum succo limonum.

Verùmenimverò nitrum hoc sicco modo, & igne, purificatum, sal prunellæ dictum, officinis usitatissimum est, & igneum, & mordax est; præstat igitur illud quod solvitur in aqua communi, pluviali stillatitia, vel aliqua alia destillata refrigerante, & odore fragrante, ut ros. viol. lilior. convall. &c. copia aquarum debet esse ad solam nitri dissolutionem, & cum prædictis aquis nitrum est solvendum, per filtrum, purificandum, & aliquali aquositate exhalatione denuò chrySTALLIZANDUM, in

in leni calore, ne fragrantia, & magis spirituosa aquarum partes in diutina coctione exhalent, sed potius cum nitro unitæ permaneant, illudque in virtutibus suis nobilitent, & intendant,

Hinc pari ratione ac diximus supra, parari potest ex eo arcanum per effensicationem ejus, &c.

ART. QUARTUS.

De Sale Armoniaco.

Est quoddam salis genus, qui armoniacus, & armeniacus dicitur, quia ex Armeniâ asportari creditur, vel ammoniacus à græcâ voce *ἄμμω*, quæ arenam significat, quia sub arenis Lybicus concrevit. Cæterum armoniacus sal, qui naturalis, & legitimus sit, ad nos conuehi desiit, quippè factitius, adulterinusque est, qui passim in seplasiariorum officinis venditur, sit ex urinâ humanâ, sale communi, & fuligine. Volatilis est admodum, & fugax, mercuriali natura præditus; abundat sulphure, quod faciliè sublimatur; estque radix saporis acidi, quo fit, ut densissima, & tenacissima corpora dissolvat; constatque triplici sale, vegetabili, minerali, & animali.

Dicitur sal armoniacum, sal solare, aquila cælestis, alba mercurialis fuligo, sal mercurialis Philosophorum.

Habet vim diaphoreticam, præcipuè in febribus, maximè in quartana, resistit putredini, &c. Externè verò in gangræna, carne putrida absumenda, in angina curanda (in

gargarismis). Quinimodò aqua unicornem, seu saphiream ad tollendam oculorum albuginem inde circumforanei tali pacto conficiunt. Recipiunt aquam calcis vivæ, in quâ dissolvunt salis armoniaci convenientem portionem, permanere sinant in pelvi aenea aliquot horarum spatio, quò usque cerulei coloris aqua evadat, filtrant per chartam emporeticam, & in vase vitreo asservant. Non tantum oculorum albuginibus medetur, verum etiam ulcera mundificat, & sanat.

Salis armoniaci in medicinâ paucæ sunt operationes, & præcipuè sublimatio; quo modo tanquam insigne diaphoreticum in febribus commendatur, ut

℞. Salis armoniaci lib. j. squamarum ferri ℥x. m. & sublima in aludelo forti igne, vase refrigerato, separa, quod sublimatum est, & m. cum v. aut vj. ℥. salis com. præp. & iterum sublima sexies, novum salem semper addendo, collige sublimatum, & serva.

Dosis est xij. vel xv. gr. in omnibus febribus, quod pluries pro ægri exigentiâ repetendum.

Circumfertur hujusmodi sublimatum aptum esse ad metalla in fluidum mercurium reducenda. Nec potest componi aqua regia absque sale armoniaco, ut infra dicemus. Valet etiam (quoniam est summè volatile) ad sublimanda multa metalla, aliaque fixa corpora mineralia, eaque transmutanda. Undè Paracelsus lib. 7. de transmutatione rerum naturalium inquit: Notandum hic est, quòd quodlibet metallum, quod in sublimationem per sal armoniacum perducitur, postea in frigore, vel in aëre solvatur in oleum, & contra in igne coagulatur in

lapidem. Quæ quidem una est ex maximis, & summis transmutationibus in omnibus rebus naturalibus, nempe metallum in lapidem transmutat.

Estò armoniacus sal, propter naturam nimis fugacem, sit summè volatilis; non per hoc tamen spagyricorum industria spiritum non elicit tali methodo.

℞. Salis armoniaci, q. v. m. cum argilla humida, ac exinde fac globulos. Destilla per retortam s. a.

Ufus hujus spiritus est in quartanâ, & obstructionibus, est summè incisivus, & diureticus, soluit itidem calculum. Dosis à gutt. iij. ad vi. vel x.

Affusus solutionibus metallicis cum aqua forti factis, indeque per alembicum abstractus, secum alias corrosivas aquas transportat. Extrinsecus anaticè cum spiritu vini mistus, & plumaceolo loco dolenti podagrîco aliquoties illinctus, dolores ad miraculum restinguit, præcipuè si in eo tantillum camphoræ fuerit solutum.

ART. QUINTUS.

De Alumine.

Alumen nihil aliud est, quàm falsugo terræ mineralis naturæ saturninæ, constans ex spiritu acido, & sale terrestri caustico. Triplicem cognoscit ortum, vel per se in venis suis invenitur, vel ex aquis mineralibus excoquitur, vel ex terrâ & lapidibus, aliisve mineralibus extrahitur.

Aluminum genera sunt multa. *Alumen capillare*, quod in capilla-

menta dividitur, in officinis autem vulgò *sior di pi tra*, unde dicitur alumen plumeum, & lapis amiantus. Ex eo sunt qui telas conficiunt, quæ ignibus injectæ ardent quidem, sed flammis invictæ splendidiore ex-eunt, undè quoque *ellyphnia* ex eodem *incombustibilia* fiunt. Undè minerale istud est natura sua fixissimum, adeò quide n, ut omnem reverberij ignem eludat. Differt ab alumine scissili, quòd hoc combustibile sit, saporisque adstringenti, illud non item.

Alumen saccharinum, quod ex alumine rupeo crudo, ovorum albimine, & stillatitiâ rosarum aquâ paratur.

Alumen catinum, propriè aluminis genus non est, sed sal ex cinere cujusdam plantæ à Mauritanis *Kali* vocatæ, vulgò *soda*, cujus cinere fabri vitriarij ad vitrum conficiendum utuntur; Alumine verò catino ad vitra in fornacibus expurganda. Huc referri potest *facum* alumen, quod ex vini face paratur, sit conformatis è face panibus, deinde sole siccatis, & igne tandiù perustis, quousque candorem conceperint.

Alumen squamosum, sive scissile, quod speculum asininum dicitur, fit ex squamoso quodam lapide, & vitri modo pellucido. Hunc itaque in ignem conjiciunt, & incensus illico claritatem amittit, dissilitque in tenuissimas laminas, & gypsi modo albescit, ejusque induit speciem.

Alumen rupeum dicitur illud, quod conficitur ex rupe, seu saxis.

Ferè nullus est usus aluminis communis spagyricæ præparati in medicina; Nam eruditiores spagyrici

vix circa ejus præparationes laboravere, an quia parum, vel nihil habet esse; an verò quia adsunt nobiliora in mineralium Regno remedia; an demùm, quia, potiora remedia ex vitriolo (quod aluminis vices ferè supplet) elucunt, cui cum affinis sit alumen minerale eadem methodo, qua ex vitriolo parantur medicamenta, parari possunt ex alumine. Et quidem *Paracel. lib. 4. Archidox.* eandem tradit methodum parandi essentiam ex alumine, ac ex vitriolo.

Crudum (quod alumen rupeum intelligimus) diversimodè in medicina usurpamus. Et quidem ex eo dissoluto in aqua ficticum ad oris ulcera, laxitatem, & putredinem gingivarum, anginam, columellam laxatam, & ad tumores pedum ædematosos paramus medicamen. Internè ab empiricis pro febrifugo exhiberi solet. Sunt qui in dysenteria exhibent.

Non tantum alumine crudo, verum etiam adusto utimur, quod tali modo paratur.

℞. Aluminis q. v. ponatur in fictile novum, & tamdiu uratur, donec totum alumen efferbuerit, nec ulterius spumam, emittat, refrigeratum servetur ad usum.

Aluminis usti usus est ad vulnere, & ulcerum excrecentias, & callositates, carnosas exedendas, & ad putredinem arcendam, &c. apud Chirurgos.

Ex alumine *Fallop.* parat aquam aluminosam, quæ ulcera mundificat, exeditque carneas excrecentias ita.

℞. Aq. Plantag. & ros. an. lib. j. aluminis rupei, & mercurij sublimati an. ʒij. f. s. a.

Ex alumine usto, & pulvere sabinae ana, fit infallibile medicamen à nobis felici eventu centies expertum ad mora, cristas, verrucas, condylomata, mariscas, & cæteras excrecentias.

Miscetur autem cum salibus, quibus aquas fortes paramus, excoquiturque igne aperto in vase terreo, donec omni exhalata humiditate, probè fuerit exsiccatum, sua namque siccitate cohibet, nè salia fusa suos spiritus retineant, exhibetque etiam suos spiritus acres, & mordaces, unde fit, ut dictæ aquæ fortiores reddantur.

ART. SEXTUS.

De Tartaro.

Tartarus est spiritus vini aciditas, agens in vini face, & doliorum lateribus undique sese apponens; lapillorum crystallinorum duritiem referens, mox obscuro colore, mox candido magis, juxta vinorum differentiam se in conspectum pandit. Non paucam portionem tartari in facibus reperies, quæ ob copiam, & pondus facum, quasi motu violento in vini fermentatione, à crystallizatione tractam non potuit doliorum lateribus apponi, in compagem crystallizari, & adhærere. Probat hoc alumen ex vini face, quod nihil aliud est, quàm quædam species tartari calcinati cum face. Est igitur tartarus vini sal, tamen aciditatem conspicuam, & prævalentem habet, gustum, & saporem gratum vinosum referens. Ad cujus confirmationem dicimus, quod no-

vinus quendam hominem, qui ex suff. aquæ quantitate, & tartari portione cum passulis, mediante coctione, & clarificatione cum succo limonum, & ovi albumine, vinum concinnabat, quod non vili aliis venditabat, quam imposturam detegere non erat facile, cum referret omnes boni vini notas.

Quamquam tartarus ad vegetabilium Regnum spectet; tamen una cum mineralibus de eo agimus, cum sit corpus salinum fixum, quod duritie sua lapidi non cedit, & omnes ejus præparationes ferè analogæ sunt eis, quæ pro mineralibus parandis instituuntur.

Quò perfectiora, & salutaria sunt vina, eò præstantiorem etiam tartarum producant; hinc boni tartari notæ sunt, ut continua serie sit dolij lateribus coagulatus, & in longitudinem protensus adhærescat, ut sit ponderosus, & sua duritie lapidi non cedat, & ab ea parte, qua vinum tangit, plurimis apicibus adamantis instar acuminatus splendeat, & quòd confractus non appareat spongiæ instar, porosus, aut terra refertus, sed substantia sua sit solidissimus.

Hoc tartaro non solum aurifabri, vitriarii, serici infectores, aliique artifices mechanici pro eorum artificio diversimodè utuntur; verùm etiam ejusdem maximam in medicinâ utilitatem experimur: Salutaria enim medicamina ex eo conficiuntur, ad quæ tanquam ad sacram anchoram in plurimis morborum monstis tutò confugere possimus.

Tartarus substantiam subtilem, acidiusculam, & penetrativam ha-

bet, qua ratione sitim à causa calida excitatam extinguit, bilis fervorem reprimat, appetentiam excitat, ventriculi dolores sedat, viscidos, tenaces, tartareos, mucilaginosos humores attenuat, & resoluit, & interiorum viscerum obstructiones reserat. Deinde ratione salis, qui cum aciditate est junctus, flatus à causa frigida exortos non tantum discutit, sed etiam omnis generis crudos, tartareosque humores incidit, & blandè educit, & hac ratione non dantur solutivæ portiones, quæ tartarum in decoctione non admittant.

Ex tartaro crudo multa vulgaria præparantur medicamina, & primò *Petrus Castelli in forma electuarij diatartarum* ita parat.

℞. Tart. vin. alb. subtiliter pulverizati, fol. senæ elect. an. ʒiʒ. manne elect. & sacch. rubr. an. ʒj. zinzib. anis. cinnam. galang. min. an. ʒj. syr. ros. sol. ʒv. f. elect. s. a.

Alij Diatartarum in forma pulv. hoc modo parant.

℞. Tart. vin. alb. ʒij. fol. sen. or. ʒj. cinnam. ʒj. f. omnium pulvis subtiliss. & adde sacch. ad pondus omnium. Sumitur in jure.

Ex eodem tartaro alij *aquam solutivam communem* parant ita.

℞. Tart. vin. alb. subtiliter pulverizati ʒiij. aq. fontis lib. ij. bull. ad solut. tart. adde sen. or. ʒij. cinnam. grosso modo contriti ʒij. bulliant parum, post refrigerationem coletur, & ad usum servetur.

Sed celeberrimus Medicus *Paulus Æmilius Ferrillo* ex propria inventione *aquam solutivam magistralem* ita descriptam posteritati consignavit.

℞. Sals.

℥. Sals. parilla sassa, minutim incis. & benè lota, polip. querc. contus. tart. alb. pulverizati, uvarum corinthiacarum an. ℥ij. santal. rubr. contus. ℥j. limatura ligni sancti, rasura eboris, & c. c. non calcinati an. ℥j. Ponantur hæc ultima tria in pupatella, & simul cum aliis projiciantur in lib. xx. aq. fontis ferventis, ac deinde aperto vase decineantur in loco tepido per 24. horas, ebulliant postea ad consumpt. 3. partis aq. & tunc adde fol. sen. or. ℥iij. cinnam. elect. contus. ℥j. bull. par. & auferatur vas ab igne, ac benè coopertum frigescat. Aqua per inclinationem à materialibus pura separetur absque express. & post separationem in ea exprimatur fortiter pupatella, & servetur.

Dosis à lib. j. usque ad ij. pro patientis dispositione. Exhibeatur frigida post anisorum conditorum comestionem jejuno stomacho per v. aut vj. dies. Leniter solvit corpus septies, vel octies in dies. Lauto indiget prandio, & ex carne, cruda omnia interdiciuntur.

Spagyrica ex tartaro multa parantur medicamina, & primò sal essentialis, dictus cremor tartari, sequenti methodo.

℥. Tart. opt. loti q. v. reduc in pulv. subtilem, affunde aq. ferventis bonam quantitatem in vase sigulino vitreato, vel vitreo, (nam in hac, sicut, & in similibus operationibus oportet à metallicis vasis abstinere, acida enim in vasa metallica suo acore agunt, ac transmutantur) fac ebullire, & spatula lignea agita, ut solvatur. Cola per manicam Hippocrat. dum adhuc calet. Residuo tartaro affunde aliam aquam ferventem, agita, & cola, idque reitera, donec nil nisi arena irresolubilis, restet. Has aquas tart. impregnatas repone, ut refrigescant, & sal concreascit;

quo pacto aquam per inclinationem effunde, & sal, quod parietibus vasis adharet, collige. Aquam iterum fac ebullire, donec cuticulam in superficiei contrahat, & iterum refrigescat, ut sal reddat, ac ita procede usque ad ultimam aq. evaporationem. Si depuratus, non satis candidus sit, solve iterum in aqua ferventi filtra, & repone, ut ante ad coagulandum.

Not. hic quòd unica tartari dissolutio sufficit, licet inde non evadat adeò candidus; nam quò frequentius ipsum coxeris, eò plus de virtute ipsi detrahes: Hinc non semper ad medicamenti pulchritudinem, sed potiùs ad ejusdem efficaciam respiciendum est. Multoties enim nimium curiosis, & artificiosis nostris laboribus rem destruimus potiùs, quam quod boni aliquid exinde efficiamus.

Usus cremoris tartari est crassos, viscidos, tartareosque humores, præcipuè autem in primâ ventris regione stabulantes incidere, attenuare, & detergere: commodè igitur adhibetur in obstructione epatis, lienis, mesenterij, in melancholiâ hypochondriacâ, &c. si quotidie exhibeatur ejus ℥ß. vel etiam integra. Nos exhibuimus eum usque ad ℥j. in robustioribus tanquam nobile purgans citra omnem nauseam. Solet etiam exhiberi ejus ℥ß. cum extracto scammonij à gr. viij. tanquam opt. purgans. Exhibetur verò in jusculis.

Circa tartari cremorem monendi sunt Medici de fraude, quæ in hoc conficiendo committitur; nam pharmacopæorum talis est incuria, ut propriâ manu parare nolint, quia ab impostoribus, & pseudochymicis

libram septem, vel octo assibus emunt. Fraus in hoc consistit, quod impostores, ut solutionum, filtrationum, & crystallizationum laboribus parcant, semel soluto tartaro aluminis quantitatem admiscunt, ut in crystallos abeat. Hinc Medici suo defraudantur sine, cum adstringendi, & non aperiendi qualitate alumen præditum sit.

Potest tartarus solutus, & crystallizatus peregrinis virtutibus imbui, eidem vis, vel cathartica, vel diuretica imprimi mediantibus decoctis rerum, vel catharticarum, ut *Jalappa, mechoacanna, hellebori, fol. sen. &c. vel aperientium ut rad. cichor. oculorum cancrorum, chalybis, &c.* unà cum iisdem tartarum dissolvendo, coquendo, & iterum crystallizando, qui licet alieno colore inficiatur, nihilominus si in porphyrite teratur, iterum albescit, atque tali modo paratus cremor tartari feliciter in medicina usurpari potest.

Secundò elicitor ex tartaro spiritus sequenti modo

℞. Tart. vin. alb. puri, vel etiam cremoris tart. lib. v. pone in retortam capacem, & in furno adapta modo quo supra in destillatione spiritus vitrioli diximus. Da ignem per gradus, ut primus gradus sit cinerum, vel arenae adinstar, & egredietur spiritus cum fumis albis, postea ol. ascendet, & ignis parum intendi debet sensim, donec totum ol. quod facidum est, ascendat, advertendo ne ignis nimium invalescat. Oleum, & spiritum rectifica, destillando à sale extracto ex capite mortuo, dein digere cum ana spiritus vini per mensem, & odor gratiosior erit, & serva.

Sunt etiam qui supra caryophyll.

rectificant, ut ejus factorem corrigant.

Usus hujus spiritus multiplex est. Primò in febribus malignis, & pestilentibus, est namque optimum diaphoreticum. 2. Est summum deobstruens, ac putrefactiones omnes tollit. 3. Si ter quotidie sumatur, paralyticis succurrit, totum corpus penetrando, & roborando. 4. In Hydrope etiam feliciter administratur, præsertim si cum ol. vitrioli parum immistus exhibeatur. 5. Vitia menstruum retentorum corrigit, ea provocando, ac demum tanquam universale mundificativum in omnibus ferè morbis administrari potest, ut in Erysipelate, Ictericâ, lue venereâ, scabie, serpigine, lentigine, pleuritide, in contracturis, & similibus morbis. Dosis gutt. ij. & vj. usque ad x.

Parant tertio *oleum tartari per deliquium*, ita.

℞. Tart. ad albedinem calcinati, ponatur in cella vinaria, vel alio loco humido, donec resolvatur in oleum, quod postea filtrandum.

Qui liquor revera oleum non est, sed propter suam unctuositatem, hoc nomen saltim adeptus est: In se ipso autem nihil aliud est, quam sal tartari humiditate aëris in cellâ imprægnatum, ac in liquorem solutum.

Ejus usus est, in omnibus serpiginibus, præsertim autem venereis, tinea, scabie, verrucis, faciem erugat, & cutim reddit teneram.

Parari etiam potest quartò ex tart. aliud magisterium, ex ejus scilicet oleo per deliquium, & spiritu vel oleo vitrioli invicem mistis, quod

quod ideo dicitur Tartarus Vitriolatus, ut

℞. Ol. tart. per deliquium ℥ iv. spiritus vitrioli ℥ ij. affunde guttatim spiritum vitrioli supra tartari oleum in vitrum capax, quæ duo in mutuo attractu magnam concipiunt ebullitionem. Deinde instillato vitrioli oleo, & omni cessante ebullitione, fiet ex ambobus unitis coagulum albiſſimum. Evoca humiditatem supernatantem, evaporando lento igne ad siccitatem salis, & hoc quod remanet, erit tartarus, quem ut elegantiores facias, super eo destilla ter, vel quater spiritum vini. Dosis ℥j. ad ʒj.

Conficiunt alij tartarum vitriolatum crystallizatum hoc modo.

℞. Cremoris tart. ℥ iv. spiritus vitrioli ℥ ij. Digerendo solvantur. Hinc affunde aquam calidam, ut penitus solutio fiat, abstrahæ aliquantulum, & reponæ ad crystallizandum. Dosis ʒj.

Digestivum est præstantissimum, tartarum in corpore humo efficacissime resolvens. Hinc utilissime exhibetur in viscerum obstructionibus, nephritico, ictero, mensium retentionibus, melancholia hypochondriaca, splenis duritie, hydrope, in omnibus febribus, præcipue in quartana, &c. pluries dosis iterari debet.

Hadrianus à Mynſicht in suo Armenario parat tartarum nitratum ita.

℞. Sal tart. & nitri præp. an. p. æ. solvantur in aqua ros. calida; postea filtrentur, & super ignem incoquendo mediocriter, donec quasi crustam acquirat, reliquum in frigido concreſcat: sic habebis crystallos, quas serva.

Præstantissimum est medicamentum; singularem n. incidendi, & detergendi humores crassos, & tartareos, nec non meatus obstructos

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

aperiendi vim habet. Insuper in febribus putridis, Hungaricis, ac malignis experimentum est. Putredini resistit. In inflammatione gutturis, quam prunellam vocant, præsentissime juvat. Calculum renum, & vesicæ impuritates expellit, urinamque movet. Dosis à ℥j. ad ʒʒ. in vehiculis appropriatis.

Parant etiam quintò ex tartaro sulphur, vel tincturam, (ut aiunt) sequenti modo.

℞. Salis tart. defecatiſſimi q. v. & in crucibulo igne valido funde, & in fluxu tandiu serva, donec ex viridi colore in caeruleum transierit, & tunc erit tanta acrimonia, & erosione, ut ad gustum lingue ad motum, instar ignis urat. Extrahe per spiritum vini superfundendo ad supereminentiam trium digitorum, & relinquendo, aliquantulum in frigido, postea in cineribus leniter excalfaciendo; quam extractionem toties repete, quoties possibile fuerit. Separa dein per distillationem spiritum vini, & manebit in fundo retortæ liquor rubeus instar sanguinis, odoris fragrantissimi, qui denique cum recenti spiritu vini ad eminentiam unius digiti conjunctus, & in phiala lento calore digestus, partim in formâ liquidâ rubet.

Ejus gutt. iv. ad viij. in vino generoso exhibitæ urinas vehementer promovent, ac resolutos pellendo humores, præstans est præsidium in hydrope, melancholiâ hypochondriacâ, cachexiâ, obstructionibus omnibus, & similibus aliis morbis, ac etiam renum, & vesicæ calculum comminuit.

Alij tandem spiritum vini salis tartari affusum ex retorta lenissimo igne destillant, ut spiritum vini tartarizatum eliciant: sed in magno

R

errore

errore versantur; nam spiritus vini dephlegmatus supra salem tartari sibi cognatum pro xvi. parte mutatur in salem, & totum reliquum fit aqua simplex elementalís.

ART. ULTIMUS.

De Aquis Fortibus.

Non solum actuali utimur igne in mineralium parandis magisteriis, verum etiam menstruali, seu potenciali, quæ aquarum fortium beneficio administratur, quæ potentius, ac efficacius agunt igne ipso flammifero; Nam metalla omnem spernunt ignis actualis activitatem, ac fusa diu in eo perseverant, ab aquis verò fortibus in aqueum solvuntur humorem, aliamque veluti subeundo larvam, suas exhibent virtutes. Hinc postquam salia, & saliformia sub ignis examine adduximus, de fortium aquarum fabrefactione, quæ ex salibus etiam plerumque prodeunt, agendum.

Variis verò appellantur nominibus aquæ fortes, ut Chrysulca, Caustica, Separatoria, Ignis Geheina, Ignis Infernalis, Aquæ Stygia, &c. maximè corrosivæ sunt, omniaque metalla, & mineralia, præter aurum, solvunt. Regia verò illa dicitur, quæ aurum tantum solvit. Conficiuntur verò ex pluribus simul mistis salibus, ut sale nitro, vitriolo, alumine, sale communi, sale armoniaco, stibio, &c. simul destillatis.

Pluribus autem modis hæ parari solent fortes aquæ à variis authoribus. Et quidem primò Paracels. lib. 1. Archidox. ita aquæ fortis præparationem describit.

℞. Sal nitrum, vitriol. & alumen aequalibus partibus, quæ destillabis in aquam fortem. Hanc rursus ad suas feces affundes, iteratòque in vitro destillabis. In hac aqua forti clarifica argentum, & postea in ipsa sal ammoniacum solve.

Alii hoc pacto aquam fortem communem parant.

℞. Vitrioli exsiccati lib. iv. salis petra repurgati lib. ij. tere, & simul m. deinde impone retortæ opt. luto munita in furno reverberij, & modo quo diximus in destillatione spiritus vitrioli, destilla, donec spiritus rubri, & nebulosi in receptaculo dissipentur, & habebis optimam aquam fortem, quam exime, & clarifica hoc pacto. ℞. ʒj. vel ij. hujusmodi aquæ, injice puri argenti ʒj. & solve, solutionem deinde infunde aliis tribus partibus, & alba evadent, sine residere, & purum affunde, & serva.

Nos vero paravimus optimam aquam fortem juxta præscriptionem Paracels. hoc modo.

℞. Vitrioli opt. exsiccati per ebull. in igne, aluminis eodem modo exsiccati per ebull. nam fit veluti calx, & nitri exsiccati lento calore p. æ. tere opt. & m. simul omnia, & retortæ luto munita modo, quo diximus supra, destilla, clarifica, & serva.

Si vis illam fortiozem parare, poteris facibus affundere, & iterum destillare.

Hoc etiam modo nos paravimus aliam aquam fortem ex nitro probè exsiccato, & alumine calcinato.

℞. Aluminis, pone in tigillo ad ignem, ut liqueat, & ignem continua donec omnis cessaverit ebullitio, & ad instar calcis siccetur, & nitri opt. exsiccati ad mediocritatem caloris, vel solis, vel ignis, an. lib. iij. tere subtiliter, & opt. invicem m. & retortæ opt. loricate impone, & modo.

modo quo supra diximus, distilla, & serva. Erit aqua fortis potentissima.

Hoc enim pacto parabitis aquam fortem communem, quæ omnibus hisce modis fit elegans, & potens ad metalla omnia (excepto tamen auro) solvenda.

Si verò aquam Regiam cupis, quæ aurum solvere valeat, dissolve ꝑj. salis armoniaci probè exsiccati in ꝑiv. aquæ fortis communis, & ea aurum solvet.

Aliqui verò præcipiunt aquas Regias esse fabricandas destillando sal ammoniacum simul cum aliis materialibus, sed hi allucinantur; nam sal ammoniacum cum sit volatile in forma salis volatilis, non autem attenuabilis in forma spiritus, potius in collo retortæ sublimando affigitur, ibique spiritibus aliis egredientibus, remanet, adeoque aqua Regia commodius fieri poterit solvendo sal ammoniacum in ipsâ aquâ forti communi, ut diximus, & erit efficacior. Verumenimverò utique sal ammoniacum in destillatione aquæ Regiæ, absque eo quod sublimet, cum aliis materialibus misceri potest, si eâ cautelâ adhibeatur, quam posuimus proprio *art. de salis ammoniaci præparatione.*

Describunt alii alias aquarum fortium, seu *Stygiarum* species, quas diversimodè componunt, miscendo cynnabarim, antimonium, mercurium sublimatum cum dictis materialibus, ex quibus aquæ fortes communes destillantur, &c. Itè varia cæmenta, quibus metalla solvere, ac diversimodè graduare nituntur, quorum descriptiones extant apud *Paracelsi lib. de cæmentis, & graduationibus,*

Nos verò eas omittimus, tùm quia potius ad Alchymistas, quàm ad Spagyricos spectare videntur; tùm quia allatæ à nobis aquarum stygiarum descriptiones sufficiunt, suppleantque in spagyrica omnes aliorum cæmentorum, aliarumque aquarum fortium vices.

Advertendum etiam, quòd spiritus salis communis, vitrioli, nitri, &c. singuli per se soli mineralia, & etiam metalla solvere valent, ceu aquæ fortes, quibus etiam plerique loco aquarum fortium utuntur.

Quibus breviter de salibus, & saliformibus omnibus mineralibus adductis pro virium sufficientia completum nunc volumus hoc caput de salium præparatione. Si verò alia occurrent salia vobis præparanda, simili methodo tractare poteritis. Nunc sit

CAP. II.

De Magisteriis Lapidum, Gemmarum, Coralliorum, Unionum, & similium.

L Apides pretiosi, Gemmæ dicti, Margaritæ, corallia, & similia non minus suo splendore, colorum varietate, atque decore humana quævis valent allicere desideria; verum etiam magnas in medicâ facultate exhibent virtutes: Siquidem vulgus medicorum, utut in eorum naturæ cognitione cæcutientes, tamen ab eis occultas qualitates ad magnos servant, & propinant agrotorum usus, & magna, in eo quod nesciunt, concepta spe, credunt, dum magni pretij medicamina ægris

ministrant; Magna quoque profligare humanæ vitæ mala, ac dum lapides hosce pretiosos diversimodè in pulverem tenuissimum contritos devorandos ægris exhibent, non minus crumenæ, quàm morbo imponunt, dum ob spagyricæ facultatis ignorantiam eorum nesciunt proportionatam præparationem; Unde sicuti per triturationem non desinunt esse lapides, ità exhibiti omnem eludunt, tam ægrorum, quàm medicorum, sicut, & adstantium spem.

Dubia hinc eorum manet apud omnes ferè philosophos cognitio, ac quò varij variatim de eorum ortu, ac componentibus principiis sentiunt, eò incertitudinem augent. Hinc aliqui ex purissimâ elementorum parte à mutuâ qualitatum colluctatione invicem coagulata. Alij insufficientem videntes elementorum doctrinam, & inspicientes in hujusmodi lapidibus veluti astrale lumen, hæc inferiora deferentes ad caelestia recurrunt, ac singulis Planetis, eorum generationem dicare nituntur. Alij videntes aquam à nimia frigoris activitate in glaciem densatam, gemmeam veluti formam induere; hinc ab analogismo ducti, rati sunt pari ratione gemmarum generationem fieri in terræ visceribus, ex glaciata scilicet aqua ex intentiore frigore ita densata. Alij videntes vitri duritiem, ad diaphaneitatem caloris beneficio prodire, hinc asseruere pari ratione gemmas ex genere metallico per nimium calorem, vel simili aliâ materiâ produci. Alij ex crySTALLINO sale, sulphure, & mercurio suâ invicem acti-

vitae coagulari gemmas ex aquâ, & mucilaginoso mercurio, sale, & sulphure alios lapides prodire asserunt. Alij ex spiritu universali Mundi, & humido radicali, sive ex elementis diversimodè destillatis, sive sublimatis in terræ visceribus coagulatis generari asserunt. Alij ex spiritu quodam lapidifico. Alij demum ex semine, sive fermento, & aquâ fieri dixerunt. Nos verò in tanto opinionum conflictu omisso in præsentii illarum examine (quippe longæ tractationis res esset) ad id quod, praxis demonstrat, & parat, accidemus.

Et quidem vulgò gemmas, corallia, margaritas, &c. in subtilissimum pollinem contritas diversis immiscet compositionibus, quam consuetudinem servant usque ad præsentem diem, sic julepum gemmatum, Hyacinthinam confectionem, Alchermes magno vendunt pretio. Aromatarij ob gemmarum pulverem, quem admistum habent; at durissima illa corpuscula, etsi tenuissima à nostro calore atteri, atque in actum deduci haud posse satis liquet, nec nostri corporis meatus subire valent.

Gemmæ, & lapides pretiosi durissimi pluribus compositionibus additi, quantum detrimentum humanæ vitæ inferunt, patefaciam. Notum est Adamas, durissima gemma, quàm subtilissimè etiam teratur, & lævigetur, pro ut, & vitrum, nihilominus ventriculum, & intestina (quibus tenaciter adherent, & in eorundem mucorem tenuissimis suis aculeis se se insinuant) successu temporis terebrare, aut ad minimum exul-

exulcerare, connatumque eorum mucorem abradere, & consequenter, vel mortem ipsam vel saltem malum corporis habitum, ob vitiatam exinde ventriculi coctionem, inducere possint: At non igitur quid simile ab aliis quibusdam gemmis, & pretiosis lapidibus durioribus, nimirum Chrystallo, Smaragdo, Saphyro, Rubino, &c. quæ digestionem penitus subjecta non sunt, & caloris nostri nativi imperium omnimodè respuunt, metuendum an sit, cuivis prudenti diligentius expendendum relinquo.

Illud unum verò juvamen huiusmodi contritos lapides inferre spagyrica edocet facultas, & ipsa experientia demonstrat, quòd dum quandoque intensa aciditas ventriculum obsidet, ut plerumque in malignis febribus, aliisque similibus morbis occurrit, exhibito gemmarum pulvere, nimia illa aciditas corrigitur, dum agit in huiusmodi pulveres, unde dulcescit, non secus ac limonium succus, vel acetum destillatum, aut similes acidi succi, dum lapides solvunt, eadem actione, quâ solvunt, dulcescunt.

Hinc conicere poteritis rationem, cur, ipsâ naturâ dictante, fœmina præcipuè testas, lapides, carbonem, & similia appetant, & aliquando ad huiusmodi depravatam appetitum explendum avidè devorent? Nàm fit huiusmodi appetitus ex nimio acore stomachi, qui ex eorum esu, sicuti corrigitur acor ille, ita talis sedari solet appetitus.

Atque ex hac eadem doctrinâ conicere poteritis, cur pleraque

aves lapides, vitrum, ferrum, &c. devorent, ac comminuant? Nàm tales aves magnam habent in ventriculo aciditatem, cujus ope illa devorant, ac resolvunt.

Non tamen ob id existimo, quòd prædicti lapides in medicinâ prorsus inutiles sint, nec eximiis suis viribus polleant, præsertim si ritè, & debito suo menstruo in liquorem, salem, magisterium, &c. soluti agris propinentur. Hinc spagyrici, ut ex eis medicamentosas eliciant virtutes diversis artificiis solvunt, calcinant, &c. de quibus operationibus infra in singulorum lapidum, vel gemmarum præparationibus agemus. Sit nunc

ART. PRIMUS.

De Coralliorum Præparationibus.

Corallia miro naturæ artificio in maris imo producuntur, ceu arbuscula crescentia, & vegetabili veluti vita viventia.

Magna verò lis est inter authores, qui de eorum piscatione agunt, an corallia sint corpora dura, sicuti extra aquas maris observantur, an mollia, dum in imo maris manent? Et quidem ferè omnium opinio est corallia sub undis molles esse herbas, extra verò aquas lapideam induere formam: *Beguinus* autem id negat, ac corallia eandem duritiem retinere sub undis, ac extra illas habent, inquit, ab experientia ductus; nam *lib. 2. Tyrocinij Chymici cap. x.* fatetur multos amicos ei confirmasse corallia sub undis dura esse, sicuti extra illas observantur, eò

quia illa exploranda dimiserunt sub undas, ubi duriora observavere.

Verum quidquid sit de hac controversiâ, cujus veritatem scire parum est emolumenti, ignorare parum detrimenti; Sat est scire tres coralliorum esse species, rubrum, album, & nigrum. Rubrum corallium omnium censetur optimum, album peculiare habet facultates; nigrum verò rarissimum est, & ferè nullius usus. Nobis verò de rubris tantum agendum tanquam cæteris perfectioribus, per quorum analogiam alia etiam corallia tractari poterunt.

Quorum primus usus apud plures nationes est tanquam amuletum, & periapton, unde gestantur à pueris, & à feminis, ut vi influentiæ eorum vitam præservent ab epilepsiâ, cordis palpitatione, febribus, uteri strangulationibus, &c. 2. In usus Medicos vulgaris Medicorum schola direxit in pollinem redacta, vel in porphyrite lapide terendo, vel calcinando. 3. Spagyrici ulterius eorum naturam trutinantes, duo præcipue ex coralliis parant, magisterium, sal scilicet, & tincturam, ex quibus deinde in gustus gratiam varios componunt syrupos, aliosque liquores.

Et quidem coralliorum sal fit eodem modo, ac salia ex aliis mineralibus parari solent.

℞. Coralliorum q. v. ac per plures ablutiones à sale marino, & omni extraneâ faculentia libera, donec nitida, & pulchrum colorem rubrum acquisiverint, tere minutim, & in aceto ter destillato vel succo limonum depurato dissolve, & digere per ij. dies, vel etiam unum, so-

lutum separa, & corallia, quæ adhuc integra perseverant, denuò diss. & decanta, & ita procede, donec omnia corallia dissoluta fuerint, solutiones omnes filtra, & in urinali ad siccitatem usque destilla, & sal coralliorum manebit in fundo vasis, quod ut pulchrius evadat dissolvi poterit in aquâ purâ, filtrari, & iterum coagulari.

Usus coralliorum sicuti multos, eosque magnos prædicat Paracelsi. ita quoque conjiciendum est sal eorum easdem retinere vires. Illud verò secundum Paracelsi sententiam est animadvertendum, quod corallia debent esse lucida, & opt. rubra, nam quò magis de rubore, & lumine participant, eò perfectiores habent virtutes. Si autem obscura sint, & non ita nitida, potius lædunt, quàm prosunt.

Solvunt inquam primò phantasmata, spectra, fascinationes, terri culamenta, melancholiam, uteri furores, epilepsiam, &c. 2. Eorum sal sanguinem in universo corpore mundificando, ferè omnibus humanæ vitæ affectionibus confert; hinc sistit fluxus omnes immodicos, ut muliebres, fluxus ventris, & tam diarrhœæ, quàm dysentericæ; tam fluxui hepatico, quàm tenesmo mirificè prodest, sanguinis rejectiones per hæmorrhoides eadem ratione corrigit. Menstruis superfluis, & fluxui uteri albo summoperè succurrit. Hinc cum sit summè confortativum, & deobstruens remedium, poterit ferè omnibus morbis administrari, ut hydropi, spasmo, epilepsiæ, calculo, suffocationi matricis, &c.

Dosis est gr. x. xx. usque ad 3j. ratione habita ætatis, & vehementiæ morbi. In vehiculis appropriatis.

Magisterium coralliorum paratur hoc modo.

℞. Coralliorum suff. quant. aceti vini opt. destillati ad suff. eminentiam, stent per noctem in calore, ut f. solutio, decantata, & filtra per chartam. Mox reliquis adde aliud acetum ad solvendum, eò usque illud repetendo, donec penitus, quod reliquum est, non nisi facibus remanentibus, solvatur: Colaturæ instilla ol. tart. p. d. parati, ut pulvis dejiciatur. Hunc seorsum positum ablue aquâ fontanâ aliquoties, postmodum exsicca, & ad usum serva.

Eosdem habet usus, ac coralliorum sal, sed efficacius.

Aliqui oleum coralliorum parant hoc modo.

℞. Sal coralliorum, pone in cellâ supra marmor mensibus Junio, Julio, & Augusto, & in liquorem solvetur, quem, addito rosarum spiritu optimo, aliquandiu circulare, & ad usus necessarios servare poteris.

Sed oleum coralliorum propriè oleum non est, sed liquor per deliquium factus.

Tincturam verò coralliorum varij variis describunt modis, qui an veri sint ambigo; adducam ergò præcipuos singulorum authorum, ut meliorem deinde eligere possitis.

Et quidem primò Beguinus lib. 2. sui Tyrocinij Chymici cap. x. multos tradit modos extrahendi coralliorum tincturam, præcipuus verò hic est, ut

℞. Corallia, cere, & cum ana salis petra per integrum diem igne moderato calcinentur, ut simul cum nitro fusa maneat, deinde mediis ablutionibus coralliorum pollinem à nitro vindica, & ex pulvere coralliorum siccato tincturam extrahere cum spiritu vini digerendo per 24. horas toties, donec nullus color ei transfundatur,

Qua remanet coralliorum materia cum alio nitro, ut diximus, iterum calcinetur, & eodem modo separato nitro, tincturam extrahere, ac ita procede calcinando, lavando, & spiritum vini affundendo, atque digerendo, & decantando, & iterum reaffundendo, donec omnem coralliorum tincturam extraxeris.

Hunc etiam modum describit Paracelsus lib. 6. Archidox. sub nomine magisterij coralliorum, quo etiam modo parat ipse magisteria ex gemmis, aliisque lapidibus, sed in eo à præfato Beguini modo differre videtur, quòd Paracelsus ea in calcem resolui vult simul cum nitro, non autem simpliciter colliquari.

Secundò Poterius postquam aliorum modos extrahendi tincturam ex corallis improbasset, hunc tanquam aliis meliorem ex Quercet. adducit.

℞. Salus corall. modo, quo diximus, extracti variis solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, depurati lib. j. retortæ luto munitæ inde, atque blando igne, primum phlegma, seu aquam inspidam prolice, auge deinde ignem, & mutato recipiente, spiritum æthereum flagrantem elice cum exigua portiunculâ olei veri etiam flagrantissima, & rubicundissima.

Tertio Crollius in sua Basilicâ etiam multos tradit modos extrahendi coralliorum tincturam, præcipuus verò sequens est.

℞. Corallia integra, prius tamen opt. lota, calcina igne reverberij. primum lento, ut saltem vivâ flammâ corallia in testis, sive tigillis terreis in furno reverberij posita, superficie tenus tangat. Corallia hoc modo primo gradu albescent, coloremque nativum abscondunt. Tandem verò gradibus ignis invicem succedentibus coralliorum corpus est fatigandum, donec ex albedine

*in flavedinē, & ex flavedine in rubedinem summam reducantur; corpore toto red-
dito spongioso, & levi, id quod plerumque
biduo, vel triduo absolvitur. Hoc igitur
signum dum in promptu fuerit, tunc de-
mum corallia beneficio graduum ignis facta
sunt habilia ad propriam tincturam in aliud
menstruum deponendam. Sic itaque præ-
parata corallia si in spiritum vini, vel in
alkohol spiritus roris majātis injiciantur,
paulo post sponte suā in id idem alkohol
tincturam deponunt, facibus illis sine ulla
virtute in fundo remanentibus. Tinctura
igitur hæc, aliquantulum menstruo vini per
distillationem inde ablato, sit rubicundissi-
ma cum quadam dulcedine.*

Hæc ille, ac ejus vires, & usum
deindè describens inquit: *Est tanta-
rum virium, ut post ejus usum aliquoties
repetitum impossibile sit ullam impuritatem
in sanguinem totius corporis humani super-
stitem esse posse.*

Exhibetur in vehiculis conve-
nientibus à gutt. iij. ad vj. & x.
Hæc sanè tinctura coralliorum Me-
dico commendatissima esse debet ob
stupendas ejus vires, ut quæ cum
spiritibus hominum magnam con-
venientiam habet.

Hæ sunt præcipuæ coralliorum tin-
cturæ descriptiones, si plures optas,
apud varios authores innumeras in-
venies, quæ an veræ tincturæ sint,
an potius imposturæ, manualis ex-
perientia te certiore reddet. Mi-
ror sanè eruditissimos, & de arte
spagyricâ benè meritos viros de eâ
præparandâ tam falsò scripsisse;
Nam sunt meræ solutiones, & calci-
nationes, & facili negotio, salium,
vel spirituum acidorum beneficio in
pulverem album præcipitantur: ab-
sorptione dein menstrui, destillan-

do, vel evaporando, similiter in sa-
linum pulverem album rediguntur.
Genuina coralliorum tinctura non
oritur ex tam ingentibus torturis,
tam diuturnis laboribus, & tam va-
riis, & violentis calcinationibus,
quibus potius ea destruimus, quàm
aliquid boni ex ipsis elicimus. Ori-
tur quandòque non ex coralliis, sed
potius, vel ex affuso menstruo, vel
ex digestionem affusi liquoris, & sic
inefficaces, nec examina sustinent,
nec voto respondent putatitiæ illæ
coralliorum tincturæ. Quidam im-
postores, & pseudochymici, qui vix
chymiam à primo limine salutave-
runt, gloriantur, & se jactitant de
singulari aliqua coralliorum tinctu-
ræ præparatione, & circumferunt
aliquas solutiones subrubras, easque
falsò pro prædicta tinctura pharma-
copolis venditant, sed subrubras in-
fusionem granorum Kermes, vel sa-
tali rubri reddunt. Hoc idem in
syrup. coralliorum confectio effi-
ciunt. Dantur equidem quædam
menstrua, quæ ex coralliis genuinam
extrahunt tincturam, sed non omni-
bus dantur.

Adiunt etiam aliæ coralliorum
præparationes, ut Butyrum, flores,
spiritus, &c. in quarum descriptione
non moror, cum ad has relatas, si
quæ aliæ sunt, reducantur.

Habent verò genuinæ corallio-
rum tincturæ easdem vires, ac su-
pra diximus de eorum sale, sed ex-
cellentiores, & efficaciores, unde
perfectius, & celerius operantur,
quàm sal.

ART. SECUNDUS.

De Margaritis.

Margaritæ nobilium mulierum delitiæ, & oblectamentum, nec non ornamentum, uniones etiam appellantur, cum hac tamen differentia, quòd parvæ margaritæ perlæ appellantur, majores verò uniones dicuntur.

Earum productio è conchis esse creditur, quasi illarum in imo pelagi existentium partus, ac genitura, unde, & semini adaugendo, nec non vitæ spiritui vivificando plurimum conferre compertum habemus.

Nobis ex Indiâ Orientali, & Occidentali asportantur, quibus in locis arte perforantur omnes; Dos omnis earum in magnitudine, lævore, pondere, & præcipuè in candore, & splendore latet, quales esse circumfertur, quæ in Orientali mare piscantur. Nam quæ nascuntur in Oceano Occidentali, præsertim in Scoto, & Anglico sinu parvæ sunt, non adeo pellucidæ, ut Orientalibus comparari possint.

Fertur eas primùm Arabes medicamentis cardiacis immiscuisse, quos secuti Græci, eas porphyrite lapide tritas exhibuisse. Demùm Hermetici eas dissolutas, & in liquorem verfas, ut facilius permeare, atque à calore nostro subjici possint, ægris propinavere.

Haud verò dissimili modo, ac de coralliis diximus, parantur & margaritæ, tam scilicet sal, solvendo eas paratur, quàm etiam earundem sal destillando, ut diximus supra in

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

secundo modo extrahendi coralliorum tincturam, paratur perlarum essentia. Parant etiam alio modo perlarum essentiam alij authores, quam etiam perlarum oleum appellant, ut

℥. Electam perlarum quantitatem, quam solve in aceto vini destillato. Remove deinde acetum per destillationem, & sal perlarum denuò in novo aceto destillato dissolve, abstrahere denuò per destillationem ad siccitatem usque, ac deinde dissolve aquâ communi destillata, & iterum destilla toties, donec summam dulcedinem perlas acquisivisse conicies. Et hoc etiam sal vocatur magisterium perlarum. Deinde huic sali perlarum defecatissimo in phialâ affunde vini spiritum rectificatum ad 2. digitorum eminentiam, ac orificio vasis opt. clauso, illud ad digerendum pone in calore B. per viij. vel x. dies, quo tempore margarita essentiam suam olei ad instar spissi ad superficiem ipsius spiritus vini remittunt, quam caute separa, & alio vini spiritu superaffuso, aequali operationis spatio, digestionem adhibita, eam toties collige, quoties visum fuerit. Convertetur namque hoc modo rotum sal, relictis paucissimis facibus, in essentiam, seu oleum. Quod denuò cum spiritu vini aliquandiu circula, postea leni destillatione B. spiritum vini separa, & serva. Eadem deinde perlarum essentia cum spiritu vini ex retortâ proportionato calore pluribus institutis cohobis, tandem tota sit volatilis per retortam transiens.

Ulus verò, & vires hujusmodi perlarum essentia magnæ sunt 1. Enim cardiacum est nobilissimum, vitæ spiritum confortando, unde corpus sanum conservat, læsumque pristinae fanitati restituit. Lac muliebri emendat, utriusque sexus semen adauget, & corrigit. Cerebrum

S

con-

confortat, unde & memoriæ conducit. 2. Summum est in omnibus ferè morbis præsidium, præsertim in contracturis, resolutione nervorum, phrenitide, apoplexiâ, tabe, paralyfi ad gr. x. bis in septimanâ. In epilepsiâ, si per 6. septimanas mane, & vesperti jejuno stomacho eâ utatur æger. Ac demùm ferè omnium morborum singulare est medicamentum, tam curativum, quàm præservativum. Dosis gr. v. x. usque ad xv. in aquis confortantibus, ut cinnam. caryophyll. &c.

Ex quibus etiam conjicere poteritis falis, sive magisterij perlarum usus, & vires, licet aliquantò inferiores. Dosis verò falis, sive magisterij perlarum est à gr. x. xxv. usque ad 3j. in aquis convenientibus, vel in opt. vino dulci, vel etiam in ovo sorbili, &c.

ART. TERTIUS.

De Gemmis.

INter mineralium divitias potissimum locum obtinent gemmæ, seu lapides pretiosi; Si quidem ob eorum varios colores, formositatem, atque splendores, nescio an terrena sydera, an sydereos lapides è cælestibus hausto semine in terris generatos superbo naturæ conatu observet. Ecquis non miratur in hujusmodi gemmis astralem veluti virtutem radio tenus in nobis operantem?

Varij autem sunt hujusmodi lapides pretiosi, colore, & splendore invicem distincti, ut *Smaragdus*, *Adamas*, *Hyacinthus*, *Saphyrus*, *Rubinus*, *Carbunculus*, *Topatius*, *Chrysolitus*, *Ame-*

ristus, *CrySTALLUS*, &c. de eorum verò virtutibus parùm, aut nihil cognitum fuisse patet, quia quotquot de eis scripsere tantùm circa eorum cortices, colores scilicet, splendores, & cœtera versantur; de nucleo, aut parum, vel nihil certi, sed solum solâ opinione ducti citra ullam experientiam pauca commentati sunt.

Modicæ autem gemmarum præparationes, quæ vulgò extant, utut extollantur à Medicorum vulgarium cohorte, varias prædicando de gemmatis confectionibus dotes in roborandis viribus, morborum maligna perniciose propulsanda, &c. Nos semper parare fecimus; Nam licet auro, argento, & gemmarum pulvere referta sint tales compositiones, tamen longè à medicamento naturâ, & conditionibus alienæ sunt, quandiù in suo esse immutatae manent.

Remur autem cum communi Chymicorum scholâ, quòd si hujusmodi lapides proportionali solutione, ut eorum exposcit natura, præparentur, suas non secus ac metalla exhibere virtutes. Verùm circa gemmarum præparationem parùm, vel nihil insudasse majoris notæ spagyricos reperimus, an quia rara est earum copia, aut quia majora exhibent medicamina alia mineralia, minoris quidem pretij, facilioris præparationis, & efficacioribus prædita dotibus, ut infra dicemus.

Paracels. verò non secus ac è coralliis, duo parat medicamina è gemmis, *magisterium*, seu, *sal*, & *essentiam*, seu *tincturam*, & quidem primò ita describit lib. 6. *Archidox.*

¶. Gemmas primò contritas, & calcivatas juxta reverberatoriam conditionem,

nem, & sal nitrum commune, pondere quidem equali, nempe lib. qua simul in calcem opt. comburantur, & postmodum abluantur ardenti vino tamdiu, donec amplius materia nulla superflua sit reperta. Post ablutionem rursus hanc materiam calcina, & per omnia fac, ut prius, & sic totum in vinum ardens transiit. Hoc per ebullitionem evaporare finito, sic habebis alkali, quod resolutum in aquam servato.

Usum, & dosim hujus magisterij describens, inquit: hujus administrationis, usum non est cur abhorreas, licet utcumque sit acutum, & calcinatum, cum ea quidem acuitate solum id operetur, quod sibi reluctatur: estque tam subtile, ut gutta unica sola totum corpus tingat in singularem virtutem.

In x. Archidox. cap. 3. hæc habet de de gemmarum magisterij præparatione: Magisterium verò est, ut illas primum cum sulphure calcines per 4. horas, reverberes, ac postea cum nitro comburas, demum cum aqua simplici coquas horis 8. filtres coagules, & cum vini spiritu extrahas.

Ex quibus Paracelsi verbis hunc poteris collire modum parandi magisterium gemmarum, juxta cujus tenorem procedere clarius poteris.

℞. Gemmarum, & sulphuris opt. an. lib. j. calcina in igne reverberij per horas 4. deinde iterum calcina cum lib. nitri, & opt. reverbera, ut quoad fieri poterit partes earum discontinuantur, deinde fac ebullire hanc calcem cum aqua communi per horas 8. ut media ebullitione gemmarum sal aqua solvatur, aquam filtra, & si aliquid calis indissolutum perseverabit, iterum ut supra cum nitri ana calcina, & in aqua fac ebullire toties, donec tota calx in aqua solvatur, aquam deinde filtra-

tam fac evaporare, & infundo vasis alkali gemmarum reperies. Extrahere iterum cum spiritu vini donec tota massa in spiritum vini transeat, coagula si vis, & serva.

Essentiam verò, sive tincturam gemmarum, sic lib. Archidox. 4. describit idem Paracelsus.

℞. Gemmas, aut margaritas, vel uniones, contundas in fragmenta crassiuscula, non in pulverem, & in vitrum positis acetum radice affunde, ut iv. aut v. digitis latis superemineat, & integro mense digerantur in vtre equino, quo peracto, materia tota liquida apparebit. Hanc alio radicato lavabis aceto, concutiendoque simul permisceto: Sic recipit acetum in se lapidis colorem. Coloratum in vitrum aliud effundes, acetum rursus affunde, prout antea, toties donec amplius non coloretur. In isto colore continetur essentia quinta, residuum est corpus. Accipe deinde colores, & in siccitatem lentè coqui finito, postmodum aqua destillata sæpius abluito, quò usque dulce fiat, ut supra, &c. Tandem hunc pulverem super marmor solui permitte: gemmarum, & unionum ad hunc modum habebis essentiam quintam.

Aliam verò gemmarum descriptionem in x. Archidox. lib. tradere videtur, ubi primum gemmas per sulphur calcinari, ac postea in radicato aceto dissolvi, putrefieri, ac dein essentiam in spiritu vini separari vult. Poterit etiam gemmarum essentia hunc in modum parari secundum Fabri descriptionem lib. 3. Myroshicij spagyrici cap. 18.

℞. Gemmarum frustula, & ter, vel quater cum pari quantitate sulphuris, & salis perra in tigillo ignies, & calcinabis, repetitis ignitionibus, seu calcinationibus, donec pulvis albus sit: tunc lavabis hunc pulverem aqua tepida, & à sale

vindicabis : & deficcatum ignies per ij. dies , ac deinde ita candentem , si fieri potest , injice in vitrum spiritu salis rectificato plenum , pederentim injiciendo , nè nimis ebulliendo salis spiritus effundatur : cessata ebullitione , injice ambo in matracium , & clauso orificio vasis in B. bulliente digere per xv. dies ; donec solvatur pulvis , qui si in primâ digestionem totus non solvatur , effuso per inclinationem primo spiritu , affunde novum salis spiritum , & digere , ut prius , toties , quoties omnis pulvis solutus fuerit . Has omnes solutiones vitro clande , & digere in B. r. penti per mense , ut melius solvatur , & in aquam transeat quidquid tempore breviori solvi non potuit . Deinde per retortam destillanda est aqua spirituosâ salis : ultimò augendo ignem , mutato vase recipiente , colligenda est gemma tinctura , qua si ex smaragdo fuerit , erit viridis , si ex rubino rubicundissima , &c. qua si tota non ascendit , sed maneat aliquid in fundo retortæ , quod habeat aliquid consistentiæ , iterum id omne dissolvendum est cum egresso spiritu salis , & per aliquot dies digerendum , & destillandum per retortam , donec tota substantia gemma ascendat , qua si opt. non colorata erit essentia , connectenda erit , & digerenda cum novis gemmis ejusdem speciei , & servanda ad magnos usus Medicos .

Est namque hujusmodi tinctura summè confortans , medicamentum cardiacum , ideò tanquam arcanum magnum in omnibus ferè morbis , renum , vesicæ , & calculis , nec non ulcerum , & vulnerum ferè omnium balsamum exteriùs appositum erit .

Dosis est ℥j. ad ʒj. quacumque hora secundum morbi conditionem , si autem tempus eligi poterit ; exhiberi debet mane jejuno stomacho ,

in aquis confortantibus , &c. Exteriùs verò cum gossipio applicatur .

Atque ex his conjicere poteritis cæterorum lapidum , tam prætiosorum , quàm quorumcunque aliorum præparationes . Hic autem non moror in adducendis aliorum lapidum virtutibus , ac peculiaribus præparationibus , tum quia illæ possunt videri apud varios auctores , tum quia per tempus non licet , nisi in magis necessariis , & utilibus commorari ; ideò sit .

CAP. III.

De Sulphuris , Antimonij , Mercurij , & similibus hujusmodi fossilibus præparationibus .

Non minorem occupant locum in spagyricâ facultate hujusmodi mineralia ; nam nobiliora parant ex his medicamina , quàm ex perfectis quibuscumque metallis , & nobilissimis mineralibus spagyrici , ut infra patebit . Imò omnium Chymicorum opera magis in his perficiendis , ac præparandis , quàm tota versatur . Circa horum igitur anatomem , & nos omni quo poterimus studio , laborabimus ; Sit igitur .

ART. PRIMUS.

De Sulphure .

Sulphur resinofum , ac pingue minerale mirandis virtutibus , & energiis in operando ita præditum est , ut ejus activitatem nihil remoretur , tellus repentino concutitur ,

frat-

fragore, subterraneique Orbis tenet scepra. Est namque veluti terræ pinguedo quædam combustibilis jugi fermentatione in terræ visceribus gliscens, in flavam, & subviridem veluti formam concrefcens; ex cuius quandoque æstibus subterraneus producit ignis, ac portentoso naturæ prodigio æstuans, impatientique æthera petens, prodigiosos Orbis tremores patrat, montiumque hiatus; unde innumera oppida, & civitates, nè dicam regiones, hujus Vulcani eruptione subversæ, abolitæ, & quasi telluris barathro ad universitatis centrum hiant, absortæ, in favillas, & cineres redactæ in fumum abiere. Fumum eructant etiam nunc funesti. Ætnæ in Trinacriâ, fori Vulcani in Puteolano, ac flammivomi Vesuvi in Campaniâ, montana cacumina, subjectisque accolis climactericos minitantur annos, periodicas eruptiones, sulphureosque torrentes latè omnia devastantes. Undè, etsi natura ignitis terribiliter minitari videtur, suos tamen terrores in languentium solamen, & medelam contorquet; dum thermæ sulphuræ, quæ omnes pro maxima sui parte, ex sulphure subterraneo accenso constant, & ortum ducunt, vel calentibus antris, vel mineralibus aquis in morborum perniciem, montium viscera pandunt, & languentes gratiose admittunt, fovent, & sanant.

Duplex autem sulphur à spagyricis assignatur, aliud tanquam vitæ principium in rerum omnium compositione, utque causa constitutiva ingreditur, quod à quâmplurimis

spagyricis sulphuris nomine insignitur cum *Paracelso*. Sic omnia metalla ex mercurio, sale, & sulphure, velut ex constitutivis principiis componi, & in eadem resolvi asserunt; Aliud vero sulphur minerale dicitur.

Rursus minerale hoc sulphur duplex est, unum, quod quia ignem non adhuc expertum est, sed spontè in minerâ nascitur, dicitur hoc sulphur vivum, quia nitedulæ adinstar lucidum est; alterum verò sulphur ignem expertum flavi, vel subviridis coloris est, probaturque quia pingue admodum spectatur.

Minerale igitur hoc sulphur multipliciter ab arte spagyricâ præparatum multa nobis exhibet remedia, crudum namque secundum *Paracelsi* sententiam in *lib. de natural. reb. cap. 7.* minimè usurpari debet, sed tantum à suis facibus liberatum; diversimodè igitur per ignem excruciatum, diveria præbet medicamina, ut flores, balsamum, tincturam, lac, butyrum, acidum liquorem, vulgò sulphuris oleum dictum, & similia.

Et quidem primò per sublimationem sæpius repetitam aliqui *sulphuris flores*, parant vulgari chymicorum more, nihil cum ipso sulphure admiscendo, ut ipsum sulphur purius, & subtilius reddant, purgando illud à terrestribus suis recrementis, quæ in sublimatione non ascendunt. Alij admiscunt eidem talia, quæ ejus liquefactionem impediunt. Inter quæ aliqui colchotar, seu caput mortuum vitrioli adjungunt. Totus sublimationis cardo in eo consistit, ut tale, quid sulphuri commisceamus, pro ejus sublimatione, quod illi de virtutibus suis, ne quidquam detrahe-

re, vel ex parte destruere valeat: Nec etiam tale subjectum in quod sulphur ipsum suo spiritu acido agere, adeoque vi adjecti dissipari vel in aliud transmutari possit. Hoc colchotar, seu vitriolum calcinatum facit, ubi sulphur in sublimatione suo spiritu acido agit in illa metalla calcinata, & mineralia, quæ occultè in colchotare adhuc latent, pro ut sulphur accensum quædam metalla dissolvere, solet, & in agendo patitur, & patiando debilitatur, & ex parte destruitur. Igitur ea sulphuri admisceri debent, in quæ sulphur non agere, nec admistorum reactione pati, nè majori ex parte dissipari, & destrui possit. Talia erunt sal communis, vel geminæ decrepitatus, item alumen opt. calcinatum, quorum salium admistione plus duplo florum sulphuris adipiscemur. Sal decrepitatus, vel alumen calcinatum igitur in florum sulphuris præparatione admisceatur, à cujus spiritibus sulphur ipsum in suis virtutibus magis intenditur, ideò

℞. Sulph. lib. j. salis decrepitati lib. ij. pulverizentur, & misceantur, & imponantur cucurbitæ vitreæ, cui superponatur alembicus altus, & capax, cui vas recipiens adapta. Collocetur cucurbita in cinerib. vel arenâ, dando lentum nimis ignem, nam post 2. vel 3. horas phlegmatis aliquid destillabit, & durabit per 4. vel 5. horas. Auge sensim ignem, ac tandem ultimum carbonum gradum, ut tigill. in quo est arena, rubeat, nec tantus sit ita excedens ignis, quia non flavo sed nigro ascendente colore flores, sed sit tantus, ut detineatur ipsum in fluxu in cucurbitâ. Flores elvatos exime à capitello, & si sublimatio non adhuc fuerit completa, & cucurbita

adhuc calens erit, citò orificium ejus tege, ne sulphur ab aëre aperto accendatur (ut sepe eventus me docuit). Amotis floribus, iterum citò repone capitellum, & ignem continua ad 10. horas, refrigeratis, post absolutam sublimationem, vasis, & omnibus collectis floribus, caput mortuum remanet friabile, & porosum, ac prunis aspersum non amplius ardet, quod est signum privationis omnis substantiæ sulphureæ. Rursus hos flores misce cum novo sale com. decrepitato, sublima, & habebis sulphuris flores tenuissimos, & purissimos, & pro qualibet lib. sulph. ℥ij. circiter florum.

Vires, & hujusmodi florum usus sulphuris plures sunt, & primò sunt multorum morborum prophylacticon, seu præservativum, quàm curativum medicamen, præservant namque à peste, febribus, &c. & curare valent omnem tussim, sive ea recens sit, sive antiqua, pro quâ sic ex eis solent tabellas conficere.

℞. Flor. sulph. 3j. pulv. ireos ℥ij. sacch. alb. in aq. ros. solut. ℥ij. f. tabella, vel rotula, ut artis est.

Quarum usus est in tussi, & similibus etiam pectoris affectibus, eas in die frequenter in ore habendo.

Similiter poterit in omnibus ferè pectoris, & pulmonum affectibus tanquam specificum medicamentum propinari, ut asthamate, phthisi, tussi, pectoralibusque omnibus catarrhis, &c.

Est etiam diaphoreticum, si cum convenienti vehiculo exhibeantur, unde cum sit nostri corporis impuritatum correctivum, ac absterisivum, poterit summo cum juvamine exhiberi in omnibus illis morbis, qui (ut vulgò ajunt) exsiccatione indigent.

Dosis

Dosis à ʒʒ. ad j. habitâ ratione atatis, & virium in curatione, in præservatione autem gr. viij. vel x.

Paracels. verò hanc eandem operationem etiam perficit elevando sulphur ab aloë epaticâ, & myrrhâ secundâ, vel tertiâ vice, ut supra diximus, quo modo præservativum summum est in peste, pleuritide, omnibus apostematibus, & putredinibus corporis, si sumatur manè jejuno stomacho, conficitque flores hujusmodi sulphuris sequenti modo.

℞. Sulph. purgat. seu flor. sulph. ita preparat. ʒx. Myrrh. rubr. ʒiʒ. Aloës epat. ʒj. Croci Orient. ʒʒ. M. f. pulvis.

Dosis poterit exhiberi similiter à ʒʒ. ad ʒj. in aquâ cinnam. caryophyll. &c.

Secundò paratur ex sulphure aliud magisterium, quod dicitur lac, cremor, five butyrum sulphuris, sequenti modo.

℞. Flor. sulph. ʒj. salis tart. ʒiij. m. & surperfunde aqua communis lib. iv. digere in arenâ per diem naturalem, ita ut sub finem aqua ferè bulliat, & sulph. penè omne solutum fuerit, postea filtra calidè per chartam emporeticam, & superaffunde aceti destillati q. s. sic cremor lacteus sulphuris paulatim præcipitabitur. Separa dissolvens per inclinationem, & iteratis ablutionibus, materiam edulcora. Ultimò digere cum spiritu vini, & exsicca, & sic habebis lac, seu butyrum, vel cremorem sulphuris albissimum.

Usus hujus magisterij est in confortando vitæ spiritum, seu vires naturales: sanguinem purificat, morbos pectoris, & pulmonum, ut tussim, asthma, destillationes, phthisim curat. In exsiccandis catarrhis, ventositatibus stomachi, &c. Est etiam pestis, phthisis, ischiadis, podagræ,

& similium morborum præservativum.

Dosis ejus est, quantum ad vehiculum albo colore tingendum sufficit, exhibetur mane, & vesperi cochlear. j. miscetur cum aquâ cinnam. caryophyll. spiritu vini, &c.

Tertiò, paratur ex sulph. oleum, seu liquor, non secus ac vitrioli spiritus acescens.

℞. Sulph. triti lib. j. vel etiam plus, pone in vase terreo sub campanâ vitreâ, & adaptetur vas terreum sub campanâ, ita ut dum accenditur sulphur, fumi egredientes flammam non suffocent, sed ut liberè in illam evecti in liquorem densentur, qui in vasa supposito destillet, ac dein accensa, ac combusta priori portione sulphuris, alia apponatur, & simili modo accendatur, & habebis ol. sulph. acidissimum, ita ut si benè operatus fueris, ex lib. j. sulph. habebis ʒj. olei.

Usus hujus liquoris est ferè idem, ac vitrioli ol. commisceri namque potest cum syrup. aquis, &c. ad februm immoderatam sitim tollendam, &c. ut de vitrioli spiritu supra diximus, eadem dosi.

Sulphuris spiritus, ut diximus, peculiarem modum destillandi expetit, diversum ab omnibus aliis, nempe per campanam vitream, unde licet artificiosè operatus fueris, tamen ex sulphuris lb. j. vix ʒʒ. aut j. excipies, restantibus paucis, & exiguis recrementis, è quibus, si in magnâ copiâ colligantur, parum salis sulphuris elixivatur. Reliquæ sulphuris partes integrantes, & substantificæ in auras evanuerunt, quas posse revocare, & coartare impossibile est. Quidam Chymici alios modos ejusdem spiritum destillandi

ten.

tentârunt, ne omnes sulphuris spiritus subtiliores, qui in destillatione per campanam maxima ex parte in auras abeunt, strictius conservarent; verum oleum, & operam perdiderunt. Requiritur igitur ad sulphuris oleum eliciendum per communem destillationem, aliquod, quod sulphuri per minima immistum sit veluti vinculum, quod sulphur à sublimatione impediât, (nescio tamen an sublimet in igne suppressionis.) sed liquatum permaneat, & ejus acidus spiritus edere sinat. Quod nam sit hoc, Chymicis ingenij sagacioribus adinveniendum relinquo.

Quartò ex sulphure *balsamum* sequenti modo cum Terebinthinæ spiritu conficitur, ut

℞. Flor. sulph. ℥ij. spiritus terebinth. ℥iv. m. & vitrum in arena colloca, ut spatium 8. hor. lentè bulliat, & instar sanguinis coloretur. Deinde spiritum tinctum decanta, & alium rursus affunde, & eodem modo procede toties, quoties spiritus ab his tinctus prodierit. Spiritum hunc tinctum deinde destilla, & per destillationem spiritum prolicies, remanente tincturâ in fundo alembici in formam extracti, quam tincturam, ut priorem reddas, iterum per vini spiritum extrahe, poteris & coagulare.

Quod magisterium appellatur, & ab aliquibus rubinus sulphuris, cujus usus est contra phthisim, quippè valet ad ulcera pulmonum consolidanda, præservat à peste, aliisque morbis contagiosis. Hoc balsamum utilissimum est ad ulcera sananda, etsi maligna, & pessimi moris. Valet etiam vesicæ excoriationi, & urinæ suppressioni succurrere.

Ejus etiam tinctura cum spiritu

vini extracta valet ad tussim, aliosque pectoris affectus curandos.

Paratur etiam alio modo *balsamum* per destillationem hoc pacto, quod ad extrinsecos usus optimum est.

℞. Flor. sulph. lib. ℥. olei lini, vel etiam com. lib. j℥. coquantur parum simul in vase terreo vitreato, spatulâ ferreâ semper movendo, igne leni, ad mellis spissitudinem coque. Post super marmor affundatur, ut refrigeret, quo in tenues partes scisso, per retortam destilla, & habebis ol. subnigrum, fatidum, & grave olens. Si verò volueris graveolentiam corrigere, poteris per aliquot vices supra caput mortuum cohobare.

Plures sunt hujusmodi ol. usus, præsertim in nervorum convulsionibus, aliisque affectibus, ut doloribus, frigidis tumoribus, &c. Valet ad vulnera, vel se solo, vel etiam in aliis unguentis adhibitum.

Parant denique *tincturam sulphuris tartarizatam*, pro quâ primò hepar sulphuris paratur, ut

℞. Sulphuris crudi, aut ejusdem florum, & salis tartari puri partes aequales, leniter simul liquando in patellâ terreâ, cavendo tamen ne flammam sulphur concipiat. Ex hoc hepate, vel massâ, in pulverem redactâ, extrahatur, beneficio spiritus vini rectificati, repetitis vicibus, affusi sulphuris rubedo, & essentia, quæ peractâ extractione à copiâ spiritus vini per abstractionem in M.B. liberanda, & usui Medico asservanda est.

Præstat in morbis contagiosis, ac peste ipsâ, à qua præservat: obstructions viscerum naturalium reserat, ac morbis etiam pectoris medetur.

Atque hæc de sulphuris præparationibus breviter satis sint dicta. Aliæ si forsan sunt apud alios autho-

res eæ cum explicatis à nobis coïncidunt. Nunc verò sit

ART. SECUNDUS.

De Antimonio.

Illius quidem mineralis examen aggredimur, quod tantoperè garula, & inexperta vulgarium medicorum caterva, tanquàm detestabile, & exitiale venenum blaterant, allatrant, divulgant, quibus imperita, & stolidi plæbeculæ pars adulatur; Chymicosque detestantes, eò quia hoc minerale tractant, eo errore perculsi, ac si mortiferum ali-quod monstrum tale minerale esset. Non Antimonium, sed *Anti*, & *Dæmonium* i. æquale Dæmonio appellant. Relegent, proscribant, contemnantque antimonium, & cum reliquis venenis repudient hi, quorum rerum naturalium scientia scrupulum obiter, & saltim tumultuariè comprehendit; at non mirum, si extra limites non prosiliunt, cum eorum iudicium sit limitatum. Hos excuso blaterones, qui ab antimonio abhorrent, illudque pro deleterio dijudicant, & horror, nè ignito pharmaco se concredant, cujus virtus, & energia adhuc desideratur. Qui hujus mineralis indolem, dotes, & vires intimè non penetravit, potius fuga sibi consulat, quàm ut temerè illud aliis consulat. Est enim antimonium dextrè à spagyricis paratum tam auxiliare medicamen, ut chronicos deploratosque morbos profliget; at non ritè præparatum, tanquàm culter in pusionis manu, aut tanquàm ensis bifidus in stulti

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

dextrâ. Verumenimverò proscriptionis, & quærelarum super antimonium causa, est vulgarium Medicorum temeritas, & audacia, qui sine discrimine, & cognitione, tum ægri, & morbi, tum remedij, interno destinant usui, undè non pauci funesti, & tragici casus subsequuntur. Nonnè Carocciolorum inclyta familia adhuc obortis lacrymis *D. Ottavium* per antimonij regulum acerbo funere extinctum lugent? Alios omitto, quos impunè cum magna fortunarum, & æris jactura ad Acherontis Cymbam in dies demittunt. Hujus mineralis principia, qualitates, vires, multiplices præparationes, usum, & dosim discant prius, & vituperent, infament, despiciant, & à Medica suppellectili postea proscribant, si deleterium, noxium, infestum, reum agnoscent, & sic non ex acceptæ injuriæ præsumptione, sed ex iudicio damnare viderentur; si alexipharmacum, innocens, salutare, cum famæ restitutione palinodiam canere tenerentur. Ast isti Psytachi quod nesciunt, damnant, & forsan quod nunquàm aspexere. Hujus veritatis comprobationem expertus sum elapsis annis cum essem in illius ingenui viri *Nicolai Sansano* officinâ aromataria, in loco ubi vulgò dicitur *la Loggia*, ut ad magisterium concinnadum pyritem emerem: Quidam venerabilis senex, Medicus Galenista, benè Barbatus, vulgò *Barbagiano* illuc adventavit, qui contortis luminibus in pyritem illicò exclamare cepit: Hoc est antimonium, & ac si humani generis hostis rictum aspexisset, se crucis signo munivit, fugamque arripuit;

puir; At illius boni viri Nicolai magno conata, & blandis precibus, jurejurando testantis non antimonium, sed pyritem esse, rediit, & aversâ facie acriter obstinatus antimonium esse contendebat. Hinc conjectari licet Psyttacorum, more conviciari. Sinite vos hosce stolidiusculos phormiones suâ dicacitate latrare, ac circa incognita delirare; & interim tanti mineralis per ignem inquirete dotes, quas in proximorum charitatem dirigite, ad eas quidem præsentaneas gravissimorum morborum medelas, & salutes effectus, tanquam à divina auxiliatrici manu promanasset, quos loquax ista Medicorum grex tanquam incurabiles desirunt, ut confundantur, & sileant.

Antimonium tam à piscis, quam à recensioribus Chymicis variis condecoratur nominibus. Latine dicitur *Stibium*, græcè *Στίβιον*. Enigmatica, *Lupus* à devorando, quod cuncta metalla devoret, præter aurum. *Proteus*, quod in varias figuras, & colores diversos se transmutari sinat Vulcani beneficio. *Radix metallorum*, quia omnibus metallis adjacet, vel quia à nonnullis metallorum minera statuatur. *Saturnus Philosophorum*, & *Magnesia saturnina*, à devorando, tum quod saturni i. plumbi naturam redoleat; tum quoque quod lapidem inde parare somnient. *Idolum Chymicorum*, quia inde ad operis majoris perfectionem pervenire exoptant. *Auri balneum*, quia poëta in isto lavacro Vulcanum lavisse Phœbum, & ab omnibus sordibus, imperfectionibusque repurgasse fabulantur. *Aries*, quod sicut Sol cœlestis in ariete

constitutus fulgentissimis radiis nostrum clima ferit, ita etiam aurum, quod solem cœlestem nunc patit, ab antimonio purgatum fulgentissimo colore, & ab omni sorditie purgatum splendet. Tandem *Paracels. Leonem rubrum*, & *Basilius Orientalem leonem* appellitare solebant.

Antimonium est corpus semi-minerale, metallis cognatum, & proximè adnascens, eò quia ex iisdem principiis, quibus, & metalla in terræ visceribus, conflatum est. Constat ex sulphure, mercurio, & sale. Sulphure pro majori sui parte purissimo, solari, partim inflammabili, & partim fixo, impuro, & fetido, non aliter, ac commune sulphur; Mercurio metallico, sulphure minus copioso, Saturni naturam participante, indigesto, attamen coagulato, magisque coacto, quam ipse mercurius; Et sale pro minimâ sui parte cum aliquâ terrestreitate, vitriolatam indolem participante.

Quod ad antimonij delectum spectat: Illud est expetendum, quod ex auri, argentique fodinis eruitur, adeoque Hungaricum, & Transylvanum omnibus palmam præripit, ex eo quia principiis purioribus, sulphure, & mercurio, à spiritu, & semine auri, & argenti, imprægnatis, imbutum est. Striis id splendentibus, scintillantibus, & longioribus, obscuraque rubedine (quæ ejus bonitatem arguit ob sulphuris abundantiam) præditum est, & hoc quando igne fusum, & in conicam massam effusum est. Hujus *Paracels.* sub nomine rubentis leonis, & *Basilius.* Monachus sub titulo Orientalis leonis meminit.

Antimonij usus vetustissimus fuit ad venustatem mulieribus conciliandam, præsertim secundum oculos; anser enim ex eis sordes, & supercilia denigrat, ut habet in *Sacris lib. 4. Reg. cap. 9.* Porro *lezabel*, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, &c. *Jerem. 4.* Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili tuo, & pinxeris stibio oculos tuos, &c. *Ezech. cap. 23.* quibus te lavisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, &c.

Vires autem, & proprietates plane variae, & præstantes sunt, non tantum in usu Medico, ac etiam multis artibus inseruit mechanicis, unde artifices, qui campanas conflant, aiunt, has edere sonitum magis concinnum, magisque auribus gratum, ac sonorum, si stibij non nihil cæteris admisceatur metallis, dum unâ in fornace liquantur. Iis etiam expetitur, qui vasa è stamno conficiunt. Item iis, qui metalla faciunt, & poliunt specula. Iis præterea qui calchographis characteres, & typos effingunt. Stibium cum quolibet metallo, sive ferrum sit, sive chalybs, in fictili fusorio permistum ea celerius liquandi præbet materiam. Quam ob causam, qui ferreos, sphericosque globos bombardis immittendos è fuso ferro confortant, nisi stibium admisceant, nunquam sanè (ut pro certo affirmant) id fluxum facerent. In auro purgando ab aliorum metallo- rum admistione adhibetur.

In usu Medico non modò cognovit *Gal.* qui lib. 9. *simpl. medic.* sic inquit: *Stimmi ad facultatem desiccantem adjunctam habet hoc medicamen adstrictionem: quamobrem, & ocularibus medicinis*

commiscetur, & illis scilicet, quæ confor-
mantur in collyria, quæ vocant, & sicci,
quæ utique sicca collyria cognominant. Ve-
rùm etiam *Dioscorid.* & multi alij an-
tiquiores. Crudum intra corpus ad
gr. iij. iv. vel v. exhiberi potest, ut
videre est apud *Matthiolum*, sed ma-
gis tutum est præparatum propi-
nari.

Ex Antimonio crudo paramus
aquam Anti-Veneream, ita

℞. Sals. parilla minutim incif. ℥ iv.
ligni visci querc. rasura c. c. an. ℥ j. rasura
eboris ℥ ℔. Antimonij crudi minutim incif.
petra pumicis an. lib. 6. hac duo ligentur in
perla linea, & simul cum rebus in lib. xx.
aq. font. per 24. hor. stent in infus. demum
bull. lento igne ad consumptionem medie-
tatis, in fine adde cinnam. ℥ ℔. cola, & ad
usum servetur.

Bibitur pro potu ordinario. Usus
ejus est in doloribus ex morbo Gal-
lico, quos statim post 12. dies sedat,
debet continuari per 40. dies. Bu-
bones tam legitimos, quam spurios
resolvit, sic quoque gummata. Cibus
debet esse ex carne assata, & viten-
tur cruda. Corpus debet esse pur-
gatum. Operatur per diaphoresim,
& sudores, per secessum leniter, &
urinam.

Hac aquâ plures curavi languen-
tes desperatos, & deploratos, quos
vulgares post decocta, suffumigia, &
extremam hydrargiri inunctionem,
omni sanitatis spe destitutos de-
seruerant.

Post *Basilium Valentinum Paracels.*
post quem innumeri ferè recentio-
res authores spagyricè præparatum
in medicinam internè assumendum
introducere antimonium, cujus præ-
cipua medicamina nos adducemus.

Et quidem 1. Ex eo paratur magisterium dictum *Hepar antimonij* ob similitudinem coloris hepatis, quem refert. Dicitur etiam *Crocus metallorū*, quia etiam croci colorem quoquo pacto repræsentat, fit sequenti modo.

℥. *Antimonij crudi*, & *salis petrae an.* lib. j. m. & opt. trita impone in crucibulo, vel alio vase. Deinde adhibito carbone vivo hunc pulverem accende, & mutua conflagatione figetur antimonium, & arsenicali suo sulphure spoliabitur, & instar croci redigitur. Edulcora aqua calida, & ad usus serva.

Si aquæ, in quâ crocus metallorum edulcoratus fuerit, acetum infillabis, præcipitem dabis crocum subtiliorem, seu ut aliis placet, *sulphur auratum*.

Ex aquâ, edulcorationibus illis imprægnata, si aliquantulum evaporaveris, crystallos nitri, vel lapidem prunellæ antimoniam colligere potes, cujus usus idem, qui prunellæ dicti: exhibet itidem insigne causticum.

Martinus Rulandus ad sydera extollit *crocum metallorum*, sed quis nam sit, & quomodo conficiatur, variè agitur; *Quercetanus* enim opinatur illum crocum *Rulandi* non esse diversum à croco metalli vulgari: *Hartmanus* ab hoc non nisi levi descrimine distat, quod in præparatione fitum est, nempe nitro fluenti, & ab igne remoto, sine inflammatione admiscet antimonium, spatulâ ferreâ continuò agitando, donec omnia probè sint mista, quæ tandem accendit. Verùmenimverò sequens præparatio est *crocus metallorum Martini Rulandi*, quo desperatos profligavit morbos, ut

℥. *Antimonij electi*, *salis communis*, nitri ana p. æ. minutissimè trita, & mista in catino, luto probe munito, foramine tamen parvulo in medio superficiei spirituum arsenicalium exhalandorum gratia relicto, in furnum anemium collocetur, igne folium adhibito, donec omnia sufficienter fluant, tandiù hoc continuando, quandiù fumus per foramen illud percurrere non desinit. Quando verò desinit, ignem probè ad horæ quadrantem adauge, deinde exime, ubi vase infrigidato, antimonium infundo à salibus supereminentibus instar reguli à scoris sequestratum se se per malleum detruncandum, atque in pulverem terendum facillè dabit. Tritus pulveris instar cinnabaris rubicundissimus erit.

Croci metallorum usus est in vomitu ciendo efficacissimus, unde cum omnia ventriculi excrementa exturbet, multis morbis inde prodeuntibus confert, Et 1. In capitis doloribus, qui ut plurimum ventriculi impuritatibus foveantur, sicut, & vertigine summo cum juvamine datur, imò etiam solâ ejus exhibitione quandoque radicitus hi, & similes affectus curantur. 2. In melancholiâ hypochondriacâ, & omnibus ventriculi affectibus propinatur. 3. In pleuritide, tam nothâ, quàm exquisitâ, tussî tam recenti, quàm inveteratâ, & omnibus ferè affectibus pectoris. 3. In omnibus febribus, ac etiam in peste, ubi præsertim ab initio vomitus est consulendus. In febribus ex aëris mutatione est veluti alexipharmacum. 5. In præervatione ab arthritide, &c.

Dosis gr. xv. ad xx. observata tamen ægri temperie, ætate, & viribus. Poterit in debilioribus, & non tamen adhuc vomitiva medicamen-

ta expertis (in multis observavi tantum sedes movisse, & non vomitiones) exhiberi tantum infusio, quæ fieri solet in vino albo optimo, citra residentiam pulveris. Exhibetur etiam in dolore colico (sed timendum est ne per clysterem affectus degeneret in ileum), vel etiam ischiado in clysteribus summo cum juvamine, si nimirum dicti croci ℥℥. vel j. maceretur, vel ebulliat in vino, & colatura deinde juri, vel decocto pro clystere parato indatur.

Paratur etiam ex croco aqua ophthalmica à Quercetano, hoc modo.

℥. Croci metall. ℥j. infunde in aq. euphrag. fenic. vel aliâ simili ad pondus lib. ℔. & digere per 2. dies agitando vas, filtra, & serva.

Usus ejus est in visus imbecillitate, ac etiam in cataractâ oculorum, ac ferè omnibus oculorum affectibus, si gutt. j. manè in oculo stilletur. Quo modo applicata etiam alvum solvere, inquit, idem Quercet. ex quo conjicere poteritis quantæ efficacæ sit hujusmodi aqua in detergendis oculi maculis, aliisque defectibus.

Hujus croci etiam beneficio paratur aqua benedicta Rulandi tantopere ab eo decantata in suis centuriis Medicis, quæ ita fit.

℥. Croci metall. ℥j. pulveriza, & in lib. iij. vini infunde, & vitro opt. clauso, ut nihil prorsus expiret, tandiù ad solem, vel ad similem mediocrem calorem retine, donec vinum citrinum colorem acquirat, postea filtra, & in vitro bene clauso asseruetur.

Dosis est ℥℥. ad ij. ut videbitur, valet ad eisdem usus, ut supra diximus de croco.

Hinc illud de hoc medicamine,

& aliis ex antimonio parabilibus notandum, quod eadem dosis valet pluribus infusionibus aqualiter virtutem emeticam communicare absque suæ substantiæ deperditione; unde constat medicaminum virtutes potissimum in spirituosâ eorum parte latere, ut supra diximus.

Hartman. etiam conficit syrup. ex dictâ aquâ benedictâ emeticum, ut

℥. Aq. benedict. ℥vj. aq. ros. odorat. ℥℥. pulv. cinnam. ℥ij. digere per hor. 24. in loco calido, postea cola, & in colat. diss. sacch. albiss. ℥ viij. coque ad syrup. medietatem consistentiam.

Dosis, & usus, ut de aquâ benedictâ diximus.

Secundò parant antimonium Diaphoreticum, ita.

℥. Antimonij, & salis petrae an. lib. j. pulveriza, simul m. & pone in crucibulum, vel tigillum inter accensas prunas, ut candeat, tum injice ℥ij. aut circiter hujus mixtionis, & statim detonabit. Postea novos pulveres injice ita ad finem continuando. Vase refrigerato, materiam exime, abluè, & rursus tere, miscendo ut supra cum ana salis petrae, eodem modo calcinando, & elaborando, tertiâ etiam vice similiter peragendo. Tandem da ignem liquefactionis modicæ, ad horæ spatium. Ultimò totum illud, quod remansit tritum coquatur in aq. font. per aliquot h. postea calens decoctum per filtrum transmittatur, & loco frigido relinquitur: Sic nimirum per ebullitionem id quod subtilius in aqua solvitur, & tandem precipitatur in pulverem admodum albicantem, & tenuem, sapienter abluendum, & exsiccandum. Quod si acetum destillatum immittatur in idem decoctum filtratum facilius, & celerius pulvis iste cadit majorum virtutum.

Usus, & vires hujus antimonij

diaphoretici sunt, quod resistit putredini, mundificat sanguinem, conducit adversus omnes obstructions, licet inveteratas, hepatis, lienis, mesenterij, aliarumque partium internarum, adversus retentionem mensium, cachexiam virginum, hydropem, melanchol. hypocondriacam, luem Veneream, ulcera tam interna, quam externa, scabiem: præsertim confert in tertianâ, quartanâ, & febribus malignis, exanthematibus, variolis, & pleuritide, rumpit interna apostemata, sine ullâ molestiâ sudorem movet, &c.

Dosis à gr. x. ad xx. in conveniente vehiculo.

Marcus Cornacbinus Medicus Pisanus antimonij pulverem describit sub Comitissæ de Warwick nomine, compositum ex antimonio, cremore tart. & scammonio sulphurato, quorum trium ratione Cerberum appellavit, ita.

℞. Antimonij ʒij. salis nitri ʒij. simul negligenter tritulantur: mox in vase testaceo supra carbonem ignitum collocato, ad comburendum, seu ut dicunt, ad calcinandum. Sed notandum, ne talis calcinatio fiat igne admodum vehemente. Hoc facto iterum tantundem salis nitri ponitur, & denuò comburuntur. Tertio denique rursus tantundem salis nitri superadditur, & comburuntur. Quoniam verò secunda, ac tertia vice difficulter admodum calcinatio sequitur; ea propter, ut vis ignis quoquò versus penetrare possit, ferro, seu carbone ignito continuo res ducta sunt versandæ, donec ex æquo undequaque penitus combustæ sint.

Scammonium sulphuratum ita paratur.

Accipitur scammonij electissimi certa quadam quantitas, eaque crassiusculè trita;

super quartam xugentam appellatam, extenditur: mox sulphure super ignem præparatum injectum, super fumum, qui ex sulphure attollitur, charta jam dicta eò usque detinetur, quousque scammonium quari, & charta adherere incipiat.

Cremoris tart. præparatio est eadem, quam nos descripsimus *us art. de Tartaro.*

Vires. Tantum pulveri huic attribuit author, ut peculiarem de eo conscripserit librum, commendatque ad omnes ferè morbos, qui purgatione opus habent.

Dosis scammonij à gr. vi. ad xvi. Antimonij gr. iv. xii. ad xx. Cremoris tartari ad antimonij proportionem.

Advertendum 1. quòd semper scammonium sulphuratum, seu diagridium in pulvere Cornacchino superare debet duo reliqua ingredientia in pondere, adeòque etiam in virtute operandi, ut omnes ejusdem operationes diagridio, nequaquam verò antimonio adscribendæ, aut tartaro; Antimonium enim ad pulverem paratum non differt ab antimonio diaphoretico: Sufficiunt ergò duæ detonationes.

Advertendum 2. quòd antimonium diaphoreticum, & ad pulverem paratum, non est diù asservandum; nam per repetitam nitri admisionem, antimonij sulphur crudum, & emeticum violentum pro majori parte figitur, redit tamen hoc antimonium ad genium, ac feroces magis induit qualitates, ubi aëri expositum fuerit, ac diù asservatum, & parvâ dosi exhibitum cor potius afficiat, cardialgias, vomitus excessivos, ac immites accersit, præsertim

tertium in malignis febribus, quorum non paucae extant tragediae.

Tertio ex antimonio paratur *Regulus* sine additione, sive simplex hoc pacto.

℞. *Antimonij Hungarici lib. j. contunde particulatim, quae crucibulo immissa, supra pulverem carbonum, ad iv. vel v. digitorum crassitiem, tegatur, & igni fusorio forti, ad dimidiam horam, vel ultra tradatur. Postea remove ab igne, ut frigescent omnia, & fracto crucibulo, in medio scoriarum regulus comparebit, qui a scoriis separandus. Scoriae vero relictae, & eodem modo, quo supra, crucibulo novo injecta, rectaeque carbonum pulvere ad horae quadrantem, igne forti fundenda sunt. Quibus iterum frigescentis, regulus qui apparebit, separandus. Scoriae porro tertia, & quarta vice, eademque via, qua supra, pulvere carbonum superasperso, fundenda sunt, & regulus semper separandus.*

Ex antimonij lib. j. tres. ferè partes (si benè operatus fueris) reguli puri habebis, qui posthac simul in unam massam fundendus.

Parant alij antimonij regulum compositum hac methodo.

℞. *Antim. niri, & tart. an. lib. j. tere, & misce. Deinde colloca crucibulum inter prunas accensas, & cum canduerit, injice in ipsum cochlear. j. pulverum, & statim cooperi crucibulum, donec fumus cesset. Tunc amove cooperculum, & novos injice pulveres, & iterum claudere, operationem reitera usque ad totalem pulverum consumptionem. Urge ultimò ignem ad fusionem usque crucibulum move, ut regulus fundum petat. Crucibulo frigescenti, regulum à facibus separa, & serva.*

Formatur ex regulo vas, qui dicitur calix Chymicus, in quo si vinum ad ℥iv. infundatur, & per noctem

relinquatur, prabet vinum suavissimum per superiora, & inferiora suaviter purgans.

Ex facibus reguli paratur aliud magisterium, quod dicitur *sulphur auratum diaphoreticum.*

℞. *Feces reguli, ut supra preparati, easque per digestionem, & ebullitionem reduc in lixivium. Lixivium calidum per chartam emporeticam trajice, cui frigescenti adde parum aceti destillati, & paulatim fundum petet sulphur. Lixivium per inclinationem separa, & crocum sulphur multis ablutionibus edulcoratum, & siccatum seorsim collige, & serva.*

Usus. Insigne est sudorificum, & sanguinis mundificativum. Unde omnibus morbis ex humorum mala qualitate oriundis aptissimum erit remedium, praesertim epidemiis.

Dosis à ℥ss. ad j. in convenienti vehiculo.

Valet etiam lixivium à facibus reguli, vel etiam faeces ipsae reguli, si supra accensas prunas ponantur, suo vapore menstruas purgationes, & lochia retenta promoveri, si per infundibulum in utero vapor excipiat. Inquit namque *Beguinus*: Sape enim fit, ut ab ejus usu, antequam hora effluat dimidia, menses proritari. Curat etiam herpes, & ulcera serpentina, si eo inungantur,

Ex Antimonij regulo *Faber in Chirurgia spagyrica cap. 17. de cancro, antimonium sudorificum parat sequenti methodo.*

℞. *Reguli antimonij q. v. reduc in pulv. & m. cum pari quant. salis petrae, & calcina ambo in tigillo forti per 3. horas in mediocri igne. Deinde iterum reduc in pulv. & iterum permisce novae quantitati salis petrae & calcina iterum, & hoc iterum donec*

donec regulus antimonij in pulv. albissimum convertatur, quem ablue aqua dulci tepida, donec tota salis substantia pereat, & habeas pulv. albissimum, quem igne desiccabis, & ad usus miros conservabis.

Dosis ejus erit ℥ss. aut j. cum aquâ cardui benedicti, aut ulmarie.

Conficiunt alij Regulum Martis stellatum, cujus usus est in medicinâ, & alchymiâ; Alij verò regulum Solarem, Lunarem, Iovialem, quos apud varios authores videre poteritis.

Quartò parant ex antimonio Vitrum, hoc modo Hyacinthinum.

℥l. Antimonij q. v. tere, & calcinetur in vase figulino amplo, & lato, non vitreato supra ignem lentum, ut incipiat fumigare, continuò materiam movendo (cave à rudiculâ ferreâ, ferreum enim antimonium devorat, sicut & cetera metalla), nè concreseat, quòd si evenerit, denuò pulverizare oportet, & ad ignem denuò colloca, procedendo ut prius, donec fumum sulphureum (à quo cave) non amplius evomat, nec in nodos concreseat, sed maneat in formâ pulveris grysei, qui tamen non diu, post peractam calcinationem, asservandus est, nè ab aëre attracto alteretur, ac agrè postea diaphaneitatem nanciscatur. Propterea illicò absoluta calcinatione, legitima crucibulo immisus igni fusorio tradendus est: Sic spatio quadrantis, aut dimidiæ horæ perspicuitatem (quam immisso stylo ferreo, non autem diu intus relinquendo experiri licet) mutuabit; quâ apparente, statim effundatur in tabulam lapideam, vel pulvim aneam, ut in vitrum pulcherrimum representans rubinum, abeat. Vitrum si adhuc opacum fuerit, reiteranda est fusio donec hyacinthinum colorem nanciscatur. Aliqui diu est in fusione nonnihil sulph. com. frustulatim injiciunt, quod illicò antimonium depurabit. Matthiolus aliquid

antimonij crudi admiscet, sed depravat pelluciditatem.

Matthiolus antimonij ut suprâ calcinati ad lib. j. addit Boracis ℥ss. & crucibulo fundendum tradit, efficitque vitrum, quod colore, & nitore chrysopatios, atque etiam nonnunquam granatos refert.

Usus vitri antimonij est humores crassos, viscidosque ejicere, in ventriculo, vicinisque locis superfluos, idque per vomitum, ac per alium. Resistit venenis, in peste præcipuè, si cum aceto propinetur, quippè hac ratione, & sudorem ciet: utile quoque est in febribus putridis ac malignis, hydrope, &c.

Dosis à gr. ij. ad iv. In infus. à gr. iij. ad vj. in vini ℥ij. vel iij.

Solent nonnulli ex hoc vitro pocula conficere, in quibus vinum per aliquot horas infusum steterit, ac postmodum potetur, potenter operari deprehenditur.

Quintò paratur, ex antimonio aliud magisterium emeticum, sed elegantius, & perfectius croco metall. regulo, & vitro, quod appellatur à Beguino mercurius vite, sive pulvis emeticus, à Crolio dicitur flos butyri antimonij, ab aliis pulvis Angelicus. Quo præsertim utebatur tanquam peculiari arcano in multis profligandis morbis Victorius Algorethus Medicus Veronensis, qui per totam ferè Italiam illud venale mittebat, magnas sibi comparavit opes, vnde nomen desumpsit pulvis Algorethi, vulgò dictus Algoreth. Appellatur, & ab aliis Aquila alba, paratur sequenti modo.

℥l. Antimonij Hungarici, & mercurij subli-

sublimati an. lib. j. subtiliter pulverizentur, invicem misceantur opt. in mortario vitreo, ac in aëre, vel aprico aliquandiu relinquantur, quoad ab aëre attracto non nihil humectentur, indantur postmodum retorta vitreo lutata, cui recipiens adapta, vel ex arenâ, vel potius igne aperto (ut ultimo, urgentiori igne cinnabaris sublimatio promoveatur) per gradus destillentur, prodeunte ol. crasso butyri instar, quod si forsitan concrevit in collo retortæ, ut sæpe fieri solet, tunc admoto carbone candente externe ad collum retortæ, fac ut liquecat, ne obstructo collo, impediatur destillatio. Auge parumper ignem per gradus donec totus liquor destillet, intende deinde, finita liquoris destillatione, ignem ultimo per unam, atque alteram horam, ut retorta candeat: & sublimabitur ad collum retortæ (quod largum sit) cinnabaris rubicunda, firmiter illi adherens, unâ cum mercurio vivo. Cinnabaris, fracta retorta, separatim colligatur. iste liquor est valde corrosivus, dicitur antimonij butyrum, seu oleum, liquor gummosus, seu spuma venenata duorum Draconum.

Si oleum magis clarum, ut & cinnabaris magis pura desideratur, loco crudi antimonij regulus eius, pro eorum destillatione est substituendus. Præterea & oleum, seu butyrum, semel destillatum, denuo vel per se, ut purius, vel etiam addita cinnabari propria, ut rubicundius, & præstantius à sulphure antimonij reddatur, rectificari potest.

Hujusmodi verò butyrum, seu ol. usus est tantum externus in gangrænâ, & sphacelo; nam tanquam causticum medicamentum putridam destruit carnem usque ad sanam, hanc deinde ab ulteriori putredine

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

præservat solâ, & iteratâ hujusmodi liquoris illinctione tantum supra partem putridam, quæ fieri debet, donec omnis putredo destruat. Sic etiam circa carbunculum pestilentialem, hoc oleo circulus fiat, vel carbunculum etiam parumper dicto madefacias oleo, paulatim emoriendo excutitur, ac deinceps convenientibus balsamicis emplastris sanabitur. In apoplexiâ liquor duorum draconum linguæ aspersus prodesse poterit.

Ut autem dictum emeticum pulverem, ex hoc liquore gummoso facias.

℞. Ol. seu butyri prædicti antimonij corrosivi q. v. cui aq. simpl. suff. quant. & quidem largiter, superaffusa, præcipitatur pulvis albicans; Qui ab aquâ acidâ per filtrum, & decantationem separandus, ac repetitâ effusione aquæ, probè edulcorandus est, siccandus, & servandus.

Pulvis hic mercurius Vita dicitur, & iisdem ferè virtutibus cum antimonij floribus præditus est, quemadmodum ex solo antimonio, non verò ex mercurio, ut vulgi opinio est, ortum ducit: Quod ipsa mechanica, & experientia probari potest. Etenim si is simpliciter igni fusorio in crucibulo committatur, illicò in Vitrum albesiens abit; Evidentissimo signo ab antimonio ejus esse originem.

Hujus emetici pulveris usus plerique sunt, omnes febres intermittentes domat, pestem, luem veneream, lepram, hydropem. Valet etiam ad omnes illos effectus quos de croco, regulo, & vitro supra diximus, sed efficacius. Quapropter cautè cum hoc mercurio vitæ, non dum cor-

Y

recto

recto procedendum, isque non, nisi natura robustioribus, propinandus: ne mercurius vitæ mortis evadat.

Dosis est à gr. iij. usque ad vi. Si autem ejus exhibitio erit per infus. infundere poteris ad pondus gr. vi. usque ad viii. & per horas 12. in vino albo generoso digere, & infusionem tantum citrà pulverem propina.

Valet autem idem pulvis pluries vinum emeticâ virtute tingere, & ratio est: quia summa est cognatio sulphuris interni rerum omnium, & mineralis, & unum sulphur alterius sulphuris substantiam sequitur, & vi quasi magnetica invicem trahuntur; Hinc est quod dum substantia volatilis sulphuris vini ingreditur, & penetrat substantiam sulphuris mineralis antimonii, invicem uniuntur, & in unum permiscuntur: Attamen vegetabile, & volatile vini sulphur agens supra sulphur fixum, fixatur, & ipsum, eadem actione, qua agit, indolemque emeticam acquirit, idque toties quoties infusio repetitur. Hoc in aquâ; ex eo quia sulphure caret, non accidit.

Potest à dicto pulvere adimi vis emetica, & fieri ut paulò mitius per inferiora tantum operetur, sequentibus modis.

Et quidem 1. si in vitro igne arene foveatur, donec rubere parumper incipiat, & postea abstrahatur, parumper prius digerendo per iv. vel v. vices spiritu vini alkoholizato, tunc enim per alvum tantum purgabit.

Secundò, si cum sale comminuto pro dupla quantitate diù, multumque super porphyrite tera-

tur, & lavigetur; sal verò aquâ simplici sapius affusâ totaliter abluatur, & pulvis remanens probè edulcoratus, exsicceatur.

Tertiò, fundendo salis nitri ℥ iij. in crucibulo, in igne aperto, sed moderato, & pedetentim addendo mercurii vitæ ℥ ij. & agitando, ac parum in igne detineantur, refrigerato crucibulo, eum in fundo reguli adinstar invenes: hinc elixiato sale nitri per repetitam aquæ simplicis affusionem, probè edulcoratus, & exsiccat, asservatur, diciturque *mercurius vitæ correctus*, qui ad gr. iij. iv. vel v. tantum per secessum operabitur.

Ut autem diaphoreticus dictus pulvis fiat, adempta vi emeticâ, & catharticâ: extrahe ab eo acetum destillatum per aliquot vices; postea ad pondus gr. ij. vel iij. sudores tantum movet. Idem etiam præstabit spiritus salis, aut nitri, vel aq. fortis communis, si supra dictum pulverem ponatur, & deinde bis, vel ter cohobetur; nam cum penè fixando, tam emeticam, quam catharticam etiam tollendo, virtutem diaphoreticam tantum reddet, si deinde post omnimodam solventis aquæ destillationem, pulvis iterata aquæ communis ablutione, à corrosivis aquæ fortis salibus, liberabitur.

Aqua, quâ Butyrum antimonij edulcorasti, quoniam secum rapuit vim corrosivam salium vitriolorum mercurij sublimati, si leni evaporatione ad aciditatis usque destillationem per retortam pellatur, transit in vitrioli spiritum elegantem, qui *spiritus vitrioli Philosophicus* dicitur, & egregias non solum virtu-

tes.

tes in medicinâ obtinet, utpotè in epilepsiâ infantium, & puerorum curanda, obstructionibus hypochondriorum referendis, & febribus ardentibus extinguendis, à guttis iv. ad x. in conveniente vehiculo; verum etiam ad alios labores, tanquam menstruum singulare, utiliter usurpari potest.

Cinnabarim antimonij à collo retortæ collectas unâ, & alterâ sublimatione purificare poteris. Medicamentum est diaphoreticum in lue Venereâ, leprâ, elephantiasi, aliisque similibus contumacioribus morbis. Est specificum in epilepsiâ cum æquali pondere magisterij perlarum, corall. & cranij humani.

Dosis à gr. x. ad xv. in liquore idoneo. Externè adhiberi potest ad luis Venereæ sanationem in suffumigiis.

Quidam medicus in suffumigiis ad luem veneream sanandam cinnabare antimonij tanquàm arcano utitur, dosim gr. iiij. cum pulv. mastiches præscribens, ad 30. dies, & ulterius usque ad luis curationem, quotidie ægrum suffumigando. Glorietur iste hoc suffumigium pyralissimum, sudoresque non promovere nec diarrhœam, dysenteriam, & urinam provocare, sed insensibiliter operari. Putat iste cinnabarim antimonij diversam esse à factitiâ officinarum, quia factitia illa supra enarrata symptomata excitat, antimonialis verò non. Sed hallucinatur; Nam cinnabaris duplex est, una naturalis, seu nativa, altera artificialis, sive factitia. Naturalis est terra mineralis, lapidescens, rubicunda, constans ex sulphure, &

mercurio vivo cum terrestri materia instar lapidis compactis. Artificialis paratur ex mercurio vivo, & sulphure communi, ac puro liquando nimirum sulph. ℥iv. & immiscendo lili mercurij ℥viiij. & ex hac mistura beneficio repetitæ sublimationis habetur cinnabaris artificialis officinarum. Cinnabaris antimonialis, quæ & artificialis est, constat ex sulphure antimonij, & mercurio, partim ex antimonio, & partim ex mercurio sublimato: Igitur utraque cinnabaris iisdem constare principiis compositione, & resolutione patet. Quod antimonialis non excitet symptomata supra enarrata, hoc ex parva dosi ortum habet; excitaret enim ea, si in illa dosi in suffumigiis adhiberetur, ac adhibemus vulgarem officinarum. Si artificiali in parva dosi, & diu uteremur, utique nulla symptomata enarrata promoveret.

Sexto flores per sublimationem ex antimonio eliciuntur, ut

℞. Antimonij subtiliter pulverizati q. v. pone in cucurbitam fistilem, cucurbitæ adapta alembicum cæcum, vel rostratum cum excipulo, aut si mavis, connecte ollas quinque vel sex, ita ut se se invicem gradatim excipiantur, ollæ sint perforatæ, excepta ultima, & prima: Ignem gradatim admove, nec si nimium fortis, nec debilis nimis. Si enim fortior sit, funditur antimonium, nec sublimatur. Sin verò debilius, non ascendunt flores. Si rectè ignem rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos, & rubros.

Humidi spiritus in excipulo excepti ad gutt. iiij. vel v. valent lumbricos expellere.

Verum horum florum antimonij

in medicinâ nullus est ferè usus; quapropter solent artifices illos corrigere longâ nimis, & operosâ operatione, in quâ describendâ non moror, tum quia facilè alia antimonialia medicamina tutiora, florum loco substitui poterunt: tum quia, si florum hanc correctionem quis desiderat, illam apud authores legere poterit.

Septimò, elicitor ex antimonio tinctura, quæ præstantissimum est medicamentum diaphoreticum, cujus descriptiones variæ sunt apud diversos authores, nos verò sequentibus duabus tanquam magis probatis contenti erimus, & quibus primò sequenti modo fit per stibii calcinationem.

℞. Stibij electi q. v. pone in vase terreo lato plani fundi super fornacem reverberij, agitetur spatulâ ferreâ continuò movendo, donec fumus cesset, & stibium fiet album, vel sublavum (in qua operatione cavendum à liquefactione, & à fumo noxio stibij), tere deinde, & pone in aludele in reverberij igne, per mensis Physici spatium, benè ocluso aludele, nam antimonium rubrum acquireret colorem, ex quo deinde extrahere tincturam cum spiritu vini sapius affuso, donec rubini adinstar tingatur. Omni deinde extractâ tincturâ, vini spiritum destilla, & tincturam serva ad magnos usus; Nam erit veluti summum omnium arcanum morborum, causas è corpore per sudorem exturbando absque ullo vitæ incommodo, imò vitæ spiritum restaurando perficit.

Dosis est gr. ij. iij. usque ad viij. cum aquâ cinnam. caryophyll. &c. manè jejuno stomacho, si id morbi conditio permittet, sin minus quacunque hora.

Alii ita antimonij tincturam eliciunt.

℞. Antimonij nigram, fundatur in crucibulo, igne forti, & in acetum spiritus nitri acutum infundendo, extinguatur: acetum sit in illâ satis largâ operculo superius clausa, foramine tamen pervio, per quod antimonium infundi possit. Arque hac antimonij fusio, & extinctio in aceto sæpius repetatur, quousque acetum rubicundissimo colore tinctum sit. Hoc peractò, abstrahatur illud in alembico vitreo leniter destillando per cineres, donec ferè totum acetum transferit ad melliginem. Huic massa relicta spiritu veneris, vel vini tincturam extrahe, ut artis est.

Parant octavò ex antimonio ol. hoc pacto.

℞. Antim. crudi, sacch. candi an. ℥iv. alum. calcinati ℥j. simul tere, & m. destillaque per retortam, igne valde moderato. Sic accipies ol. rubicundum.

Valet ad fistulas, ulcera maligna, gagrænâ, & sphacelum, ad separandam carnem mortuam à vivâ.

Paratur etiam alio modo antimonij ol. ex croco metall. ut

℞. Croci metall. & sacch. albiss. an. q. v. tere, & irrorâ opt. spiritu vini, digere per aliquot dies. Lenissimo igne destilla, (alioquin vas, propter nitrum, & saccharum dissilit) donec omnis aquositas evocetur. Postea aucto igne ol. destillabit. Ex hoc oleo tincturam elicere poteris, si l. a. operatus fueris cum spiritu aceti, & vini.

Laudatur tanquam Panacæa ad omnes morbos, nam parùmper sedem movere circa vesperam, vel sequenti die, fortè unam, vel alteram, ac blandè etiam per diaphoresim pravos humores expellere fertur.

Dosis est iv. usque ad viij. gut. in convenienti liquore, vel conservâ.

Nonò

Nonò, ex antimonio elicetur sal.

℥. Massam, quæ à destillatione butyri antimonij in retortâ residuâ remansit, reduc in pulv. Bis, vel ter calcinetur cum sulph. admiscendo qualibet vice massæ antim. lib. j. sulph. ℥ss. Hinc abstrahæ aceto destillato, post extractionem salis, remanet materia salina subflava, quæ cum aquâ simpliciter denuò soluta, & filtrata, ad cuticulam iterum solutione abstracta, concrescant in loco frigido, crystalli salini, qui diligenter asserventur.

Ufus. Mundificat sanguinem, expurgat corpus ab omnibus impuritibus, curat luem Veneream, & hydropem, prodest in podagrâ, rumpit apostemata, fugat febres. Extrinsecus mundificat ulcera maligna. Dosis gr. iv.

Parant, decimò ex antim. sulph. multis modis, & primò, ex cinnabare, ut.

℥. Cinnabaris antim. q. v. reduc. in pulv. coque cum lixivio forti, ex tartaro calcinato, & calce vivâ, in sartagine ferreâ, horis iij. quousque lixivium rubicundo colore tingatur: tinctum decanta, aliudque superaffundatur, & coquatur; quoddamdiu continuandum, quousque lixivium non amplius rubro colore tingatur. Tincturas omnes calentes filtra, & in loco frigido relinque, donec pulvis rubicundus (qui est verum sulphur antimonij) fundum petierit, quod segregata aquositate, vel lixivio per decantationem, & filtrum, sæpiusque aquâ recenti affusâ, quousque omnis falsedo, ablata sit, sulphur asservetur. Mercurius vivus, qui in sartagine conspicietur, partim ex mercurio antimonij, partim ex mercurio sublimato originem trahens, seorsim custodiendus est.

Ex hoc genuino sulph. paratur Panacea antimonij, ita.

℥. Sulph. jam descripti, reguli antim. an. ℥j. ol. sulph. per campanam, vel ol. vitrioli rectificati ℥ iij. digere per 8. dies in loco calido, dein destilla ex arenâ per retortam vitream, ter cohobando, urge postremò ignem quarti gradus horis 12. & erit totaliter fixum, quod exime, & cum aq. ros. lava, & exsicc. deinde ℥. Hujus pulv. ℥j. Mag. st. vel salis corall. ℥ij. m. exactè.

Ufus. Est instar panacæ, habet in se vim diaphoreticam, ac sanguinem mundificandi, ideòque quibuslibet morbis per sudorem sanabilibus inservire potest, præcipuè lvi Venereæ, friditæque cutis. Repetenda est dosis sæpius in quibuslibet morbis, præsertim verò in epidemiis, & malignitatem secum vehentibus. Dosis à gr. x. ad xv. & xx.

Secundò alij ita sulphur antimonij parant.

℥. Antim. crudi, tere minutissimè, & superaffunde lixivium forte, digere per dies 7. ut fiat extractio, extractionem filtra, & leniter ebullièdo, reduc in pulv. rub.

Inservit extrahendæ tincturæ, purgat per superiora, & inferiora. Dosis à gr. ij. ad. v.

Alij verò ita parant.

℥. Antim. pulv. q. v. coque in lixivio forti, & præcipita aq. pluvi. imprægnata aceto destill. hinc edulcora.

Ufus. Tutius agit per vomitum, quàm crocus metall. dosis à gr. iij. ad v.

Tandem ex antim. mercurius elicetur tali pacto.

℥. A. j. pluvie destillatæ cum sale armoniaco, affunde antimonio pulverizato, digere per dies 8. hinc decanta, & evapora; habebis pulv. albicantem dulcem;

qui ad ignem fusus Saturnum exhibet nobilissimum, nihilque aliud est, quam mercurius antimonij.

Alii antimonium macerant aliquandiu in spiritu tartari imprægnato sal. armon. hinc sublimant, sublimatumque in sartagine agitant ad acquirendum mercurium.

Pro hujus art. coronide libet hic annectere antimonij vitrum flavum, succinum repræsentans, quod paratur.

℞. Antim. striis splendentibus, scintillantibus & longioribus, obscuraque rubedine præditi q. v. pulveriza subtiliter, pone in vase terreo, non vitreato, amplo, plani, & lati fundi, calcinetur supra lentum ignem, quousque gryseum acquirat colorem, semper versando materiam, ne concreseat, quod si accidat, denuo pulverizetur, & collocetur ad ignem, procedendo, ut prius, donec sulphureum non eructet fumum (à quo cave,) & cum gryseum acquiserit colorem, tunc cum ana. salu. petra, & tart. opt. pulv. & mixt. m. cum sapone molli, ut f. pasta, ex qua formentur pilule, & f. regulus s. a. in cujus confictione optimum tempus eligi debet, sole, & luna Piscis, & Aquarii signum percurrente; quem injice in crucibulum opt. ignitum, post cujus fusionem pedetentim pro qualibet libra, Boracis ℥ v. immitte, & amorum ab igne calcinabis, ut antea, quousque fumus cesset. Postea in ignito crucibulo immitte calcinatum regulum, in quo injice borasem (qua sit in paucâ dosi, aliter vitrum album efficies), & sulphur flavum maneatque in fusione per horæ quadrantem, tunc experiri quandoque poteris, an versum sit in vitrum pellucidum, & flavum, stylo ferreo, in parva dosi, quod si non eveniat, injice parum sulphuris flavi pluribus vicibus, quoad depuretur,

& reddatur diaphanum, & flavum; tunc supra marmor projice, & habebis antim. Vitrum flavum.

Adverte tamen 1. quod peractâ calcinatione, & fumigatione, ex templò fundendus est in crucibulo, aliter per aliquod temporis asservatus ab aëre attracto alteratur, redditque vitrum opacum. 2. Ne crucibulum, in quo funditur, ex ferri misturâ sit conflatum, quia vitrum redderetur obscurum. Idem accideret, si calcinaretur in vase ferreo, vel ferreo instrumento versaretur.

Ex hoc vitro possunt efformari calices Chymici emetica virtute vinum tingentes, cujus vires, usus, & dosis sunt, ut supra diximus.

Ecce quomodo ab eodem stibio habes diversa medicamina juxta diversam ejus præparationem; unde conjicies similia medicamentorum virtutes, potius ex diversa præparatione, quam ex innatâ proprietate habere.

Atque hæc adduxisse sufficiant de antimonij operationibus, tanquam selectiorib. & principalioribus, alias, si quæ sunt præparationes, si quis vult, legat apud varios auctores.

ART. TERTIUS.

De Marchasita, Arsenici, & Auripigmenti operationibus.

Lapidem, quem *Πασμα* græci appellant, Mauritani Marchasitam dicunt, & licet pyritæ propriè dicantur lapides, à quibus chalybe excutitur ignis, tamen quia marchasita cæteris magis scintillat chalybe,

lybe, aut ferro reperienda, per antonomasiam ipsa sola pyrites appellatur, tanquam cæteris præstantior. Foditur hæc in omnium metallorum ferè fodinis, genere, & colore diversa, ut plurimum aureis, vel argenteis scintillis respersa. Unde marchasitarum omnes species, nihil aliud sunt, quàm corpora mineralia, & diversitatem ex metallorum diversitate sortiuntur juxta eorum participationem. Aliæ enim dicuntur marchasitæ auri, aliæ argenti, ferri, plumbi, cupri, &c. omnes autem ex una, eademque materia sunt compositæ, differunt tamen in gradu coctionis: per quam coctionem mercurii illorum, & sulphura infecta, indigesta, ac corrupta, recipiunt aliquam differentiam, unde colores varii apparent, faciuntque flavos, albos, nigros, plumbeos, &c. componuntur ex plurimo sulphure albo, aut rubeo infecto, & corrupto, plurimo sale, & paucio mercurio. Reperiuntur ferè semper in montium cacuminibus, ubi auri, & argenti, minera in profundo delitescit; Ex mineris sulphur indigestum, impurum, ac corruptum, mistum plurimo sale, & paucio mercurio in telluris superficiem vi centralis caloris exhalat, & marchasita conflatur; quod si fuerit flavum, erit marchasita auri, si album, argenti, &c. Invenitur quandoque quæ aurum, argentum, vel æs intra se continet.

Plurimæ marchasitis sunt virtutes, quas Medicorum vulgus ignorat, dum dijudicant, sub istis duris cautibus metallicis nihil naturam collocasse, præter simplex esse; adhibentque tamen exterius in formam

empl. ad dueros concoquendos, discutientiosque tumores: tamen falluntur, si videant, quomodo in omnibus marchasitis, quæcumque tandem fuerint, lateant, potentissime virtutes purgandi, æquè fortes uti in antimonio, unde.

Si 3j. marchasitæ infundatur in ʒiv. aut v. vini albi, purgabit magna efficacia hydropicum, & prudens usus istius eum certissime sanabit; Sic enim evacuantur potenter omnes serositates, aperiantur omnes meatus interiores corporis, & præterea fortificatur hepar.

Aliqui marchasita extractum ita parant.

℞. Marchasitas auri, pulveriza, & impone testa vitreata, calcina vi ignis, & inde materiam rudicula ferrea agitando, donec non fumet amplius, & ejus sulphur impurum omnino combustum sit, tunc per secerniculum agatur, & inde tincturam cum aceto destillato, aut succo limonum prolice, evapora menstruum ad extracti consistentiam.

Usus hujus extracti est in febribus intermittentibus corpus purgare, & potenter omnia humorum genera; Serum potentissime educere, ideòque hydropicos ad miraculum juvare.

Nonnulli ex marchasita conficiunt oleum, sal. flores, vitrum, præcipuè verò aquam, quam perhibent auri animam extrahere, relicto corpore albo.

Unum extat marchasita tantoperè à nostratibus mulieribus exoptatum magisterium, quod ita paratur.

℞. Marchasita argenti q. v. contunde in pulverem, ejus nigredinem sæpe eluendo, auferes, donec aqua limpida, & clara
inde.

inde fluat : postea sicca illam, & diff. in aquâ forti facta ex sale nitro, & alumine, cui vini spiritum affunde, & momento precipitabitur in alcohol instar nivis candidissimum, quod ab omni acrimoniâ salium aquæ fortis sæpius abluendo aqua pura, & exsiccando, liberari debet.

Potest loco spiritus vini cum oleo tartari per deliquium facto, vel aqua marina præcipitari. Deinde rursus cum sale præparato per dimidiam horam teri, & lavari potest, & in umbrâ exsiccare debet super papyro.

Usus ejus est ad vitia cutis auferenda, lychenes scilicet, impetigines, scabritiem manuum, & similia tollenda. Valet etiam ad fucum inducendum.

Arsenicum est fumus, seu fuligo metallorum, reperiturque in fodinis metallorum, scilicet auri, argenti, stamni, plumbi, ferri, & cupri. Arsenicum ex terrâ, & aquâ compositum esse aliqui volunt; nonnulli ex sulphuris naturâ; plerique ex mercurio, & sulphure; Nos verò ex mercurio, sulphure, & sale constare dicimus: ex mercurio minimo inter principia; nimio sulphure inflammabili; plurimo sale caustico, & exurente. Ista tria principia sunt corrupta, & putrefacta, male, & perperam invicem unita; sine ulla proportionem reciproca neeunt, & sine vinculo istam compositionem.

Dicitur & auripigmentum. Græcè *Αρσενικόν*, ejus genera tria recensentur album, arsenicum in specio sic dictum, seu *arsenicum crystallinum*. Citrinum seu flavum, *realgar*, *risagallum*, *auripigmentum*. Et tertio rubeum, *sandaracha*.

Arsenicum crystallinum ideò dicitur, quòd crystalli modo pelluceat, non sit per se, nec spontè nascitur in fodinis, sed factitium est, fitque ex auripigmenti srobe, & pari salis pondere mixtus, teruntur unâ, & sublimantur, donec crescat in lapidem, idque roties repetitur, donec ad purum efficiatur, & crystallum referat. In medicinâ præstantissimum est album, eligaturque crystallinum, ponderosum, durum, benè purum, ad lacteum colorem tendens.

Auripigmentum, & sandaracha nativa sunt, nec inter se in alio differunt, quàm quod alterum magis, alterum verò minus excoctum fuerit in terræ visceribus, ubi gignuntur. Unde colorum diversitas in coctione secundum plus, minusvè sulphuris putrefacti, & corrupti, quod in compositione reperitur.

Nonnulli chemistæ isticritiâ idest auri cupiditate laborantes, in arsenico tincturam albam, & rubeam aspicientes, credidèrunt in istis verum arcanum lapidis contineri, album argentum, rubeum aurum existimaverunt, donec per examina oppositum experti fuèrunt. Nec eo contenti, ulterius se obstinatissimè insinuarunt, ut ad fixationem pervenirent, ac tantisper, dum nulla domus, possessio nulla reliqua sibi manserit miseris, in se transmutationem potius quam in metallis experti; & hoc quia nullâ præviâ mineralium, & metallorum cognitione hoc opus aggressi sunt, quod, & hodiè maxima operantium pars, in hac arte facit. Aliqui in arsenico insudantes, eorum sententiam ad metallorum transmutationem ex Sybillinis versibus vetu-

vetustissimis ad hunc modum se habentibus, comprobare videntur.

Novem literas habeo, quatuor Syllabarum sum intellige me.

Tres prima duas literas habent singula, Reliquæ reliquas, & sunt mæta quinque; Totius verò numeri centurie sunt duæ octo,

Et tres ter decades cum septem. Intelligens autem

quis sim,

Non redis, vel ignarus eris ejus quæ in me est

Sapientia.

Hæc omnia conveniunt, in hac dictione græcâ græcè dinumerata *Ἀπορρυμδον*, quod ad albam tincturam attinet. Verum est tamen auripigmentum cum propria sua natura aurum continere, quod per industriam nonnunquam separari potest in cemento, vel projectione, vel aliàs in argentum, cuprum, vel plumbum attractione, non propterea sequitur hoc per suas operationes, atque tincturas productum esse, sed quod ante inerat, per separationem dumtaxat, veluti ex sua minera solet, ortum est. *Cajus* Princeps hujus excôqui jussit ingens pondus, & post postremas purificationes, multum auri invenit omni specillo probatissimum, ad pretium auripigmenti æquabile, non tamen ad operatorum labores. Est igitur auripigmentum auri vena, sed inops, & indiga.

Album in medicinâ usitatissimum est, fulvum, sicut rubeum nullius pretij. Album vim Medicam in se continet, ita ut tutò ei fidatur in omnibus morbis, ad quos paratum est: fulvum minoris efficacæ, le-

D. Car. Musitani Pyrotechnia,

prosum in se continet virtus: Rubeum quoque minorem in medicina virtutem habet, pejusque venenum, cui nihil salutare.

Arsenici operatio in veneno consistit, ideòque Medicum singulariter doctum, prudentem, peritum, diligentem, & expertum requirit.

Arsenicum inter venena haud infimum locum tenet, estque venenorum maximum, nec immerito, nam præter summam acrimoniam urentem, causticamque facultatem, tantâ quoque malignitate vitæ nostræ balsamo infestum est, ut non modò intus assumptum, sed etiam extrinsecus adhibitum horrenda symptomata introducat, ut sunt convulsiones, mantum, & pedum stupiditates, sudores frigidi, palpitationes, deliquia cordis, spirandi difficultas, tussis, vomitiones, vehementissimi ventriculi, & intestinorum cruciatus, erosiones, sitis inexplibilis, æstus, faucium, & gulæ asperitas, urinae suppressio, dysenteria, &c. Et tamèn quidam nefarij ausi fuere arsenicum laxativis jungere, cujus venenositatem, ut corrigerent, species de gemmis adjecerunt.

Verumtamen facultates quoque habet utiles intrinsecus in curandâ peste, affectibusque venenatis, sed debito, & spagyrico modo paratum. Extrinsecus utimur ad denudandam pilis quamvis partem, verum si diutius adhæreat, nec cuti etiam ipsi parcat. Ad capitis pediculos enecandos cum lixivio. Aliquando cauteriis, & amuletis admiscetur.

Auripigmenti, & sandarachæ vires ferè eadem sunt, nisi in arsenico crystallino paululum sunt mitigatiores,

tiores, & id ob id in ejus præparatione admistum.

Spagyrici variè ex arsenico parare nituntur medicamina, at præparationis scopus eò dirigendus est, ut acrimonia mitigata dulcescat, & aura venenata, & volatilis separetur, quæ omnia habentur per sublimationem, fixationem, & liquationem.

Beguinus parat rubinum diaphoreticum, Petrus Joannes Faber quintam essentiam describit, & alij quàmplures, quorum præparationes prædicant ad internos usus nostri corporis; Nos verò cum Paracels. lib. 1. de reb. natura. lib. cap. 1. remur magisteria ex arsenico parabilia, quæcumque illa sint, minimè ad internos usus esse administranda, sed tantum externè, eò tamen, ut venenatam qualitatem mediâ præparatione deponat. Deponit verò venenum media fixatione, fixatur autem per calcinationem cum nitro, quo modo fit oleum ad magnos usus externos.

Et quidem 1. per sublimationem parant ex arsenico rubinum diaphoreticum, ita

℞. Arsenici q. v. sublima bis, vel ter in arenâ, semperque separa pulv. subtiliss. qui in aludele instar farinæ adhaeret (est enim arsenici venenum,) partem crystallinam m. exactè cum flor. sulph. an. & sublima.

Vires. Est specificum in affectibus pulmonum ex crassis catarrhis. Datur quoque sudorem ciendum in morbis malignis, & venenatis.

Dosis à gr. iij. ad v. in conveniente vehiculo.

Eodem modo potest parari, & rubinus ex auripigmento æquali dosi ad similes affectus adhibendus.

Secundò per fixationem, seu calcinationem arsenici oleum ita paratur à Paracelso.

℞. Arsenici, & nitri r. a. tunde. Immitte in tigillum, prun. squæ impone, ut evaporare, ac bullire incipiant tantisper, donec fumus, ac bullitio cessaverit, hecque ad inum fundi adipis instar in sartagine fluentis se demiserint. Deinde per h. j. atque alteram (quò diutius, eò melius) sepone, ut quiescat, dehinc misturam hanc marmori super infunde, aureum acquirere colorem, & in loco humido si ponas, fluidum in adipem convertetur.

Modò sciendum hoc ol. ad leniendum posse cum vino sublimato permisceri, vel cum aliâ quadam aquâ convenienti. Potest etiam tart. calcinatum eodem modo solui, & redigi in ol. majoresque acquirere virtutes.

Ufus ejus est in mali moris ulceribus percurandis. Pusulas morbi gallici in naso, vel ore, aliisque in locis erumpentes curat sola dicti ol. inunctio. Curat præterea serpiginem, tineam, lupum, cancerum, carcinomata, fistulas, &c.

Tertiò per destillationem spiritum, & butyrum arsenici parant, ut

℞. Arsenici p. j. & mercurij sublimati p. ij. destilla per retortam, ut fieri solet in parando butyro antim. primò egreditur spiritus subtilissimus semper fumans, & sub finem liquor crassus, qui in aq. com. precipitatur, vel in suo liquore servatur.

Vires. Spiritus dicitur martem solvere radicaliter, tincturisque ingressum præbere in corpora metallica. Butyrum verò est septicum violentum, cancerorum ulceratorum eradicatorum; debet autem ei par quantitas opij ad sensum doloris obtundendum

dendum permisceri, & ex filo carpto cir umcirca admoventi cum defensivis convenientibus.

Verum in his, & similibus medicamentis Chymicis requiritur summa diligentia, & observatio artificis, tam in præparatione, quam in observatione, ut praxis clarius doceat, nunc sit.

ART. QUARTUS.

De Mercurio.

Absolutis salibus, & sulphuribus, ad mercurium gradum facimus, attamen hic nos non loquimur de mercurio, qui unum est ex tribus principiis: nam sic mercurius est humidum radicale totius mundi, ex quo omnia fiunt, nutriuntur, foveantur, & conservantur; Sed de vulgi mercurio, quod dicitur *argentum vivum*, quia Lunæ instar est albus; vivum verò ratione mobilitatis, quia semper irrequietum agitur, unde dicitur *animal currens sine pedibus*. Dicitur Mercurius à notâ Mercurij cœlestis velocitate, & inconstantia, de qua fabulati sunt Poëtæ. Dicitur *Hydrargyrum*, quia aqueum videtur argentum, & reverà aquæformis est mercurius, non verò aqua madefaciens omne, quod tangit.

Constat argentum vivum, ut singula, ex sulphure, sale & mercurio. Sulphuris copiam habet, mercurium perquamoptimè mistum cum sale, ità ut mercurius suo sale cohibeatur. Sulphur indè ità est anatizatum cum mercurio, & sale, ut non faveat nec mercurio, nec sali, sed ambo æqualiter amet. Undè ob sulphur

perpetuò est fusile, & currit in superficie planâ absque adhærentiâ suæ substantiæ; ob ejus copiam perpetuò est in motu, & non adhæret, & quia mercurius perquamoptimè mistus est cum sale, ità ut mercurius suo sale cohibeatur, non madefit, nec madefacit.

Antiquiores Græci admodum tenuem de hydrargyro habuere notitiam, ut colligitur ex *Dioscoride lib. 5. cap. 7. ex Oribasio lib. 13. ex Actuário lib. 5. cap. 12. & ex Avicennâ lib. 2. tract. 2. Gal. lib. 9. simpl. medicament.* temerè pronuntiavit: *Argentum vivum ex sponte nascentibus non esse, sed ex iis, quæ parantur, velut cerussa, ærugo, psoricum, lythargyros*: fateturque se nullum istius mineralis fecisse periculum, an interimat, si devoretur, vel ubi foris fuerit admotum.

Posterioribus vero sæculis in communem ferè usum adscitus est mercurius, & in contumacissimorum morborum curationem, unde non paucæ circa illius facultates exortæ sunt inter Medicos recentiores controversiæ, quidam naturæ esse calidæ pronuntiârunt, alij verò frigidæ, alij temperatæ, quidam veluti toxicum, ac perniciosissimum venenum à communi hominum usu, atque commercio proferibendum docuerunt. Demùm quidam ad eò extulerunt, ac pro tam admirabili remedio habuerunt, ut angelicum pronuntiârunt, cum tam admirabilis, & stupendæ naturæ sit, ut quascumque formas, veluti novus Proteus sibi induere videatur, & tamen propriam nunquam amittit, nam in altum in atomos elevatus, deorsum præcipitatus, mortificatus, fixus, aut quo-

modocumque mutatus, naturam semper suam, & essentiam servat, ut ad pristinam suam facillimè redigatur formam. *Fallopins* inquit esse imaginem & speciem resurrectionis, miraculum Soli Deo reservatum, & hoc exemplo apud incredulos confirmare possumus, ut verbo Dei ex nostro cinere resurgamus, cum pulvis præcipitatus iterum in argentum vivum reviviscat. Semper quippè suum retinet corpus, nec ullam subit corruptionem, aut alterationem, eo quod in sui corporis consistentiâ homogeneous sit, nec partium alteritatem habet, quam homogeneitatem etiam auro ejus filio præstat, ideoque inter utrumque magna illa familiaritas, & necessitudo, illudque præ cæteris avidè amplectitur, protinus cum illo concreditur, amalgamatur, & amicabilem unitur, tanquam verum, & homogeneous auri menstruum, & sicut facilius est aurum construere, quam destruere, ita facilius est naturæ mercurium construere, quam destruere.

Quantum ad qualitates *Avicennas* dicit esse frigidum, & humidum in secundo gradu, cui consentit *Averroës*, ut refert *Pandectarius*. *Fernelius* de abditis rerum causis frigidum, & humidum in quarto gradu dicit hydrargyrum, quod confirmat *Matthiolus*. Alij sustinent calidum esse & siccum intensissimè; pro primâ opinionem militat *Fallopins de metallis*, & *fossilibus cap. 37.* pro secundâ adducunt *Galenum 4. de simpl. cap. 18.* dicentem *Hydrargyrum esse causticum*, talia sunt in quarto gradu calida, quanquam scilicet de *simpl. 19.* asserat: *Esse à totâ substantiâ contrarium*

humana, natura, & in fine ejusdem fateatur *se nescire hujus mineralis usum*, ut suprâ. Aliqui esse calidum, & humidum in quarto gradu, *Amatus Lascitanus* dicit esse frigidum, & siccum. *Matthias Untzerus de anatome spagyricâ mercurij* ait esse temperatum, compositum ex partibus calidis, & frigidis, præparatum verò esse calidissimum. Idem sentit *Saxonia de Lue Venereâ* missum esse imperfectum, à quo per calcinationem frigidum evolat, & remanet calidissimum. Hos damnat *Sennertus cap. 21. de Lue Venereâ* prohibetque esse calidum, & siccum, quorum rationes omnes adducere, & repudiare satis prolixum esset scribere, eò magis quia ad nauseam usque apud *Fallopium*, & *Sennertum* discussæ inveniuntur.

Recitatas nugas, & allata fabulae hactenus de argento vivo protulere, qui horrore quodam percussi, illud neque extremis digitis tetigere. Unde quid de hoc minerali docuerint, nunc videamus, qui à primis qualitatibus ejus virtutes non emendicarunt. Horum aliqui dixerunt argentum vivum esse venenum, aliqui verò id negarunt. *Matthias Untzerus* prolixè probat non esse venenum adducendo *Avicennam lib. 4. fen. 6.* dicentem: *Argentum vivum potum non ledere, sed egredi per alvum.* Idem *Haly Abbas lib. 1. Pract. cap. 43.* & *Rhasis in 9. ad Mansorem* de potu argenti vivi statuunt. *Brassavolus* sine ullâ noxâ intra corpus assumi asserit, cum *Vererenarij* brutis vermibus scantentibus, quod ex anhelitu cognoscunt, avellanæ nucis putamen dimidiatum argento vivo repletum; & faucibus injectum, quatuor

tuor vicibus diglutiendum tribuant, nullo graviore morbo succedente, curant. Et pueris in extremo constitutis periculo, quibus cætera nihil profuerant, duorum granorum milij quantitate felicissimo cum eventu *Brassavolus* exhibuisse testatur. Et nos absque ullâ noxâ plusquam centies moribundis pueris mercurium vivum exhibuimus pondere unius scrupuli, & ab imminente morte fuerunt liberati, necatis illicò vermibus. In Galliâ verò propinatur pueris pro quotidiano remedio aqua mercurii hoc modo parata:

℞. Mercurij vivi ℥j. eam injice in aquæ ferventis lib. 3. Bulliat per spatium dimidij quadrantis, deindè aqua à mercurio decantetur, & sumetur pro quotidiano usu. Nam vermes non solum illicò necant, sed eorum generationem prohibet, corporis temperamentum fervat, & contagia arcet. Id quod mirum est, eadem mercurij uncia quantumvis aquæ quantitatem eam imbuat virtute, ut paulopost de hac veluti infinitâ mercurij virtute explicabimus.

Mulier cum abortum tentasset diversis remediis, ad eundem obtinendum libram integram argenti vivi, eam ingurgitasse refert *Matthiolus*, & apud me constat pro eodem fine mulierem mediam libram mercurii ingessisse, sed ut abortum non obtinuit, ita illæsa à mercurij assumptione remansit. Verum est, quod obstretices laboriosè parientibus scrupulum unum mercurij exhibere solent pro partus acceleratione, & non frustra. Imò observatum est quosdam sitibundos noctu

in tenebris vasa argento vivo plena pro poculo arripuisse, & plenis faucibus argentum vivum magnâ quantitate exhaustisse, id tamen sine damno per alvum rejecisse. Tentavere adulteræ mulieres multoties argenti vivi exhibitione Zelotypos necare maritos, sed argentum vivum uxoribus humanius scelus non complevit, unde extat apud *Ausonium* epigramma:

*Toxica Zelotypo dedit uxor macha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miserit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hac si quis, faciunt discreta venenum.*

*Antidotum sumet, qui sociata biber.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa saluifera.
Protinus ut vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis qua via nota cibus.
Quam pia cura Deum, prodest crudelior
uxor,
Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

Servi in mineris argentum vivum colligentes, ut dominos fraudent, argenti vivi aliqua pondera ebibunt, illudque deindè per secessum ejiciunt, & secretò venundant.

Citati omnes authores, & decantatæ experientiæ dilucidè concludunt argentum vivum purum, crudum, & nullâ præparatione antedatum, non solum esse venenum, sed innocuè intra corpus assumi posse.

Contrà non desunt, cum argentum vivum non solum non tetigerint, sed neque viderint, qui illud

lethiferum toxicum esse crediderunt, credulis professoribus eorum scriptis eundem metum impreſerint, hujus farinae homines fuere *Galenus, Aëtius, Conciliator, Cardanus, Fernellius*, & alij, qui sine ullo fundamento argentum vivum stuporem, tremorem, convulsionem, paralyſim, epilepsiam, apoplexiam, lipothymiam excitare, & interdum mortem afferre inſinuant, sed horum hominum de hoc minerali ignorantiam diffuſe demonſtrat *Quercetanus in Alexicaco, & in conſilio de Lue Venerea*, & ab aliis plurimis præcipue à *Sennerto, & Zacuto* controverſia decisa eſt.

His de argento vivo traditis, quæ quicquid de eo vulgaria ingenia protulere, continent, aliud ſuper eſt examen faciendum, an ſcilicet argentum vivum pro Luis Venereæ antidoto fuerit communiter receptum. Tale eſſe argentum vivum ſuſtinet *Quercetanus* cit. ſuprà locis, *Epiphanius Ferdinandus Hiſt. 17.* jurejurando affirmat 150. gallicos curaffe atatis, ſexus, regionis, & temperamenti varios, & vario anni tempore; atque *Laurentium* memorat pluſquam 1000. ſine recidivâ curaffe, & hanc mercurij alexipharmacam vim ab occultis qualitatibus pendere, & à proprietate ſpecificâ diſputat *Felix Platerus*. Qui argentum vivum Luis Venereæ antidotum eſſe negant, ij ſunt, qui ex ignorantia illud venenum eſſe exiſtimant; cæterum paſſim experientia docet, & hætenus docuit, ex morbi Venerei ſpecies, quæ à vegetabilibus remediis, atque à provocatis ſudoribus evinci non poſſunt, ab applicatione mercurij

abſque ullo periculo radicatus curantur. Nunc noſtras obſervationes, & de argento vivo fundamentalem doctrinam ingenuè communicabimus.

Sciendum itaque eſt primò, quòd argentum vivum eſt corpus metallicum, in cujus productione cauſa eſt naturæ induſtria, ut ſub lege omnium corporum miſtorum illud non poſſit ſuſcipi; quippe omnia corpora miſta corruptioni, alterationi, diviſioni, & tranſmutationi experiuntur obnoxia, tantùm argentum vivum hoc gaudet privilegio, ut incorruptibile, inalterabile, indiviſibile, & immutabile non ſolum ab ordinariis naturæ, & naturalium agentium viribus, ſed etiam à vehementiſſimis liquoribus, aliſque mediis, quæ humana induſtria hætenus invenit, & impoſterum inveniet; ac propterea multùm à cognitione hujus mineralis abſunt ij, qui illi primas tribuunt qualitates vel in exceſſu, vel in remiſſo, nam qualitas à toto miſto manat, ſuum corpus deſerit, & in aliud imprimitur; argentum verò vivum, cùm ſit corpus indiviſibile, & inalterabile, nil ſui alteri corpori conferre poteſt: nam ſiquid ex ſua ſubſtantia depraderet, illud non eſſet, quod antea erat, quod falſum eſt in hydrargyro innumeris experimentis.

Neque qui toxicum, & venenum argentum vivum eſſe credidere, ob eandem rationem ſua indiviſibilitatis aliquid rationi conſentaneum retulere, cùm id quod venenum eſt, aliquid à ſe, quod vitam adoriatur, & occidat, emittere necesse eſt, quod cùm in argento vivo impoſſibile

bile fit, impossibile quoque est, ut venenosum esse possit: Verum tamen est, quod cum argentum vivum neque venenum, neque cibus dici possit, medicamentum illud nobis suadere debemus; unde neque exterius applicandum, neque interius exhibendum esse præter necessitatem, & morbi urgentiam: quæ curare solet, existimamus, more aliorum medicamentorum, nam præter necessitate non assumptum, si uti venenum non lædit vel ratione admirabilis suæ penetrationis, vel ratione excessus ponderis (quod gravissimum præ omnibus metallis, excepto auro) lædere faciliter potest.

Secundò sciendum est, quod argentum vivum constantiam, indivisibilitatem, & inalterabilitatem, uti illud semper idem, in suo corpore conservat, ità quicquid quod acutum salinum, vel sulphureum est, quoties in argentum vivum agere conatur, supra illud emoritur, & in aliquid aliud à pristino omnino destinatum, transmutatur, argento vivo semper eodem perseverante, licet illud aliquā larvā mutatum appareat. Hinc discite, quā sit innocens, & omnis venenositatis expers, dum simplex, parum, & nulli alii corpori commistum erat argentum vivum: cum deindè liquoribus acutis, salsis, sulphureisque commiscetur, tantam venenositatem acquirere potest, ut infra quadrantis horæ spatium hominem perimere possit, ut de ejus sublimato experimur.

Ubi est advertendum, quod non est argentum vivum, quod in venenum convertitur, sed sunt salia acuta

liquorum ætium, quæ dum impene-
trabile mercurij corpus strenuè ado-
riuntur, illudque corrodere præsu-
munt, quia debilia sunt ad tantam
hujus corporis evincendam constan-
tiam, ipsa super mercurij corpus
transmutantur, exaltantur, & corro-
sivi veneni proprietates, acquirunt;
itāque venena non ex mercurio, sed
supra mercurij corpus producuntur,
& coagulantur: nam mercurij cor-
pus post calcinationem venenosam,
si à salibus calcinationis separetur,
idem remanet mercurius, qui ante
calcinationem erat, quod evenire
non posset, si aliqua mercurij pars in
venenum abiisset, nam *de privatione
ad habitum facilis non est regressus*. Du-
pliciter ergò argentum vivum ad-
iuncta sibi in venenum transmutat,
vel per sublimationem, vel per præ-
cipitationem.

Primò per sublimationem sal vi-
trioli volatile in corrosivam, ac ve-
luti igneam naturam mercurius con-
vertit, nam vi ignis illud secum ra-
pit, & suis partibus commistum illam
acutiem sollicitat: fit autem argen-
tum vivum sublimatum hoc modo.

*℞. Mercurij purgati, vitrioli rubifica-
ti, salis preparati ana lib. j. salis nitri ℥iv.
Terantur, & misceantur simul in morta-
rio lapideo cum modico aceti tandiū, donec
mercurius nullo pacto appareat vivus. Quæ
omnia benè mista pone in cucurbitā luto
munitā, cui superimponere alembicum rostra-
tum: Da ignem per gradus s. a. per viij.
vel x. horas, & excipe aquam fortem, quæ
per alembici rostrum destillabit, & habebis
mercurium sublimatum ad instar nivis al-
bum. Operam ut melius perficias, poteris
iterum sublimare, addendo pro qualibet
librā mercurij sublimati aliam libram salis*

præ-

preparati, & vitrioli uncijs, quatuor, ac tertio cum sale tantum sublimabis.

Afferimus mercurium sublimatum potentissimum esse, corrosivumque venenum, sequenti artificio omnem ejus corrosivam activitatem aufertis, & in suave medicamen transmutabitis, qui *Mercurius dulcis*, & ab aliis *Drago mitigatus* appellatur.

℞. Merc. sublimati, & merc. vivi currentis an. lib. ℥. ponantur ambo in mortario lapideo, & eò simul pistillo misceantur, ut vivi merc. nullum granulum appareat, sed in massam nigrificantem ambo redigantur. Pone in aludele, & igne arena administrato per v. vel vi. hor. sublimabitur merc. Scinde deinde vas ferro ignito, & merc. dulcem recipies, remanentibus in fundo facibus, quas unà cum nigrificante materia collo vasis adherente rejice.

Nota quòd eadem salia corrosiva, quæ cum sublimato perseverant novi vivi mercurij adjunctione, & actione medià iteratà sublimatione dulcia fiunt, nec adeo corrosivam vim retineant. In mercurio ducti conficiendo sufficiet una tantum sublimatio, si purum, insipidumque obtinueris; iteratis n. sublimationibus infringitur vis purgatrix. Si verò sexies sublimabis, efficies *Calomelanos Turqueri*, insigne contra lumbricos medicamen, si diagridio immisceas.

Uusus hujus magisterii est in lue gallicà, gonorrhœa recenti, &c. Bubones etiam incipientes resolvit per secessum evacuando, dissipat, expellitque omnis luis venereæ infectionem; priusquam dolores, gummata, aliæque species his graviores non apparuerint, nam in his aliquod affert levamen, minimè quidem integram sanationem. Felici

eventu ego utor in puerorum lumbricis enecandis. Ictericam gallicam curat, & calculi renum expellit. Administratur à Quercet. in multis aliis morbis tanquam Panacæa.

Dosis est gr. xv. ad xxx. pro conditione personarum. Commisceri potest cum pil. solutivis, conservis catharticis, confectione hyacinth. & alkermes, aliisque similibus pro Medici cupidine, & infirmi exigentia.

Secundò per sublimationem paratur merc. sublimatus rubeus non corrosivus, *Artanum corallinum* dictum, ita

℞. Merc. opt. purgati lib. j. salis petreæ opt. purificati, vitrioli ad rubedinem calcinat. an. lib. ij. Pulverizentur, & misceantur opt. subinde irrorando, & incorporando cum aceto destillato acerrimo, donec dispareat penitus merc. Hinc sublima ex arenâ in cucurbitâ lutatâ cum capitello, & exit primùm phlegma, dein auctiori igne per 24. hor. continuato, sublimabitur sublimatum proximè à materiâ rubeum, paulò altius flavum. Utrumque rubeum, ac flavum cum salis petreæ lib. j. & alum. calcinati lib. j. m. impastaque cum phlegmate prioris aceti destillati, sublimaque denuò ut prius hor. 12. & ascendet iterum sublimatum rubicundum, ac flavum, collige singula seorsim, rubicundum elue aquis cordialibus, ac ab eo efflagrare sine spiritum vini; flavum calcina igne mediocri, ut rubescat, hinc elue similiter, ac corrige cum spiritu vini desuper accenso. Feces nigrigantes cum merc. in capitellum ascendentes abjiciantur in singulis sublimationibus.

Uusus est in hydrope, morbo gallico, podagrâ, scabie, ulceribus, cancro, &c. Dosis à gr. iij. ad v. cum theriacâ,

theriacâ, succ. ros. pilulis catholicis. Purgat per inferiora præcipue, est magnum Arcanum in deploratis morbis.

Mercurius non æquè bonus existit, sed variat. 1. Ratione matricis, seu loci naturalis, undè naturali loco censetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro, vel argento, & hinc optimus censetur Hispanicus, & Hungaricus. 2. Ratione inquinamentorum, quibus nonnunquam per se in terra conspurcatus est; undè ut plurimam scetet commistione arsenicali, antimoniali, saturnina cadmiosa, quibus nonnunquam in terræ cuniculis venenosus redditur. 3. Nonnunquam à malevolis adulteratus venditur; adeo enim exactè eum, adulterare norunt beneficio plumbi, ut quoque simul per corium transire queant, adeoque difficile sit fucum cognoscere. Quapropter nequis incautus decipiatur, non à re erit hæc bonitatis signa observare. Primò bonus censetur qui per retortam propulsus nihil recrementi relinquit. 2. Qui in cochleare argenteo evaporationi super prunis impositus maculam relinquit flavam, aut albicantem; qui nigram, aut fuscam relinquit purgari debet. 1. Expressione per corium, quâ facibus crassis in corio remanentibus, mercurius transit, sed hic modus non est tutus, ut diximus. 2. Lotione, lavetur autem vel per acetum simpliciter, aut cum sale mistus, vel per lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium saponariorum, sæpius nimirum cum his agitando, & vicissim à sordibus eluendo. Purgatur

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

quoque agitatione forti cum spiritu vini in vitro obturato, separatur enim nigredo ad latera. 3. Destillatione, destillatur nimirum in arenâ per retortam igne sat forti, idque per se, sine additione, vel addito sale tartari, calce vivâ, & similibus. Opt. verò purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac postmodum per retortam, à corpore admisto separandò. Opt. purgatus censetur mercurius ille redivivus, qui ex sublimato, præcipitato, & cinnabare elicitur, ut diximus.

Parant alii ex *merc. præcipitatum album*, quem nonnulli *mercurium cosmeticum* appellant, quo mulieres in perpoliendâ facie utuntur, more aliorum, & similium pulverem albicantium, qui fucata quadam albedine eandem imbuunt. Ast si frequenter adhibeatur, vereor ne poris se insinuet, & temporis tractu dentibus, aliisve partibus non leve damnum inferat, idcirco ejus usus inter cosmetica improbatur, prostant longè præstantiora cosmetica, quibus innocenter uti possumus.

℞. *Merc. ℥ iv. diss. in aq. fortis suff. quant. & affunde aquam salsam, præcipitabitur in pulv. alb. dissolvens per inclinationem effunde, & præcipitatum multis ablutionibus omni salsâ, & acrimonie priva. Tandem exsicca, aq. ros. ablue, & iterum exsicca.*

Usus ejus est in morbis venereis, cujus dosis à gr. viij. ad x. xv. & xx. cum massa pilul.

Præcipitatur mercurius hoc alio modo.

℞. *Merc. sublimati q. v. coque in aq. font. ebulliendo ad ignem lentum, deinde in hanc solutionem claram, & puram gutta-*

Y

rim

tim infilla ol. tart. per d. facti, & statim præcipitabitur merc. instur pulv. lutei coloris. Decanta aquam, & pulv. aq. puratories elue, donec aqua, que egredtur, nihil saporis acris retineat. Postmodum pulv. lento igne exsicca, & serva.

Hujusmodi præcipitatus merc. dicitur ab aliquibus. Præcipitatus Luteus, cujus gr. v. vel vi. in theriaca vel simili alio vehiculo exhibentur jejuno stomacho bis in hedomada, quo modo solvit quoscunque morbos chronicos, ut obstructiones, febres erraticas, icterum, &c. & secundum Hartmanni sententiam est etiam contra ipsa venena validius.

Simili modo præcipitatur merc. ad ulcera curanda aptus, sequenti modo.

℞. Calcis vivæ lib. iij. & extingue in lib. xxiv. aq. com. quam filtratione redde limpidam. Dein lib. ejus iv. adde sublimati com. subtiliss. pulv. scrup. ij. & brevi temporis spatio, is se præcipitabit in pulv. citrinum, ulceribus malignis curandis appropriatum. Aqua inservire potest carnis luxuriantis consumptioni.

Hic à Lazaro Riverio tam decantatum in suis centuriis febrifugum detegamus, cum præcipitati species sit, cujus ipse suboscurem, & tenui velo obvolutam, fidelem tamen, & omni fraude vacuum descriptionem proponit, inquiens: Componitur ergo præziosum hoc medicamentum ex triplici Hercule xij. laboribus ad summam nobilitatem evecto, quibus tandem quartus athleta additur operis complementum efficiens. Fit ex Sole, antim. & merc. 13. destillationibus. Quartus athleta, idest spiritus vini additur ad operis complementum. Clarius ita paratur.

℞. Auri purgati ℥ss. solve in aquâ Regiâ, item in eadem aquâ regiâ solve ℥ss.

vitri antim. seorsim, in aq. fort. autem solve merc. vivi purg. ℥ iij. solutiones omnes limpidissimas conjunge, & omnem humorem abinde destilla, quem iterum affunde, & rursus abstrahere ad xij. usque cohobationem, tunc isti pulv. præcipitato vini spiritum affunde, quem sexies renovatum ab eo abstrahere, tandem fixus, & insipidus pulvis sub regula igniatur, quem Bovius suum Herculem appellavit, omniumque aliorum catharticonum speciebus anteponendum judicavit tanquam domitorem luis venæ, febrium petechialium, pestilentia- lium, vermium, & aliorum morborum incurabilium.

Notandum verò prædictam aq. regiam non esse conficiendam mediante sale armoniaco, quia nimium volatizat, & in sublimationem adducit merc. & vitrum antim. sed sale marino, vel gemmæ, quamvis & ejusmodi aq. regis valde volatizet, & proinde singularis industria requiratur, si quis hujus Herculis familiaritatem exoptet.

Describuntur ulterius innumeratæ mercurij præcipitationes à variis authoribus, quæ non absimili à supra descriptis sunt; ideò si quis eas considerat apud eos videre poterit.

Nobiliora verò, & potentiora arcana, quæ ex mercurio parari possunt, ulteriori ejus fixatione fieri, ac per dicta solventia vulgaria fiunt, certum est: Nam Paracels. & Helmont. per liquorem immortalem alkalest dictum, corallatum, vel diaphoreticum parant mercurium, quæ sunt duo ex summis artis spagyricæ arcana, quorum singula valent ad omnes morbos curandos; tamen etiam deficiente liquore alkalest parari potest.

potest arcanum ex mercurio, media iterata ejus solutione in co. n. aq. forti, quod dicitur *mercurius diaphoreticus*. Sic Paracels. lib. de morte rerum ejus descriptionem tradit inquit: *Ut autem in precipitatum redigatur merc.* non alio modo procedendum est, quam ut in opt. aq. forti calcinetur, postea graduata aq. fortis ab eo abstrahatur quinquies, plus, minusve, donec precipitatus pulchrum colorem rubeum acquirat. Hunc precipitatum dulcifica quantum potes: ultimò quoque rectificatum vinum ardens ab eo destilla septies, vel novies, vel tories, donec in igne candescat, & non aufugiat: tunc habes merc. precipitatum diaphoreticum.

Helmont. mercurij diaphoretici tract. de f. bribus cap. 14. sequenti modo descriptionem tradit.

℞. Pul. Joan. de Vigo propria manu paratum, nam alioquin admisto minio, est adulteratus, prout quaecumque medicamen Chymicum, quod venale extat, fraude plenum est. Hic pulvis, affuso elemento ignis de vitriolo veneris extracti cum aqua regia cohobandus est quinquies, sub finem augendo ignem: nam fixatur planè. Et est pulvis valde corrosivus. Qui d. in cohobetur decies cum aq. vitæ opt. dephlegmata, & vicibus singulis renovata, donec omnem corrosionem secum abstulerit. Et tùm iste pulvis, instat sacchari, dulcis est.

Verùm hæc Helmont. mercurij diaphoretici descriptio non ita facilis erit, ut non erit, ut non requirat peritum artis spagyricæ, optimum artificem, exactumque Philosophum, qui nè dum rectè noscere sciat, verùm etiam separare essentias ex metallis, seu sulphur essenziale, elementum ignis ab Helmont. appellatum. Quod idem advertit idem Helmont. cit. loco, dum inquit: In preparatio-

nem ejus ingentis opera esse, nec solius putantis, sed verè scientis, est sulphuris veneris, seu elementi ignis, ejus preparatio, ex quo summa diaphoretici mercurij perfectio pender.

Verumenimverò licèt Helmont. quidam margaritas porcis subtrahit, velum ante oculos adhuc perspicacissimis ponat; nos tamen ingenuè aperiamus quid sit elementum ignis ex vitriolo veneris.

Ignis iste, sive sulphur veneris aliud non est, nisi ea pars cupri, quæ per acrium contactum viridescit: pars hæc à cupro est ignis industria separanda, ita ut remaneat metallum album, quod Anonymum dicunt, & non sit amplius cuprum; major in hoc arcano comparando difficultas in separatione hujus ignis veneris, qui sine totali cupri destructione haberi non potest, consistit. Fit eadem methodo, quâ quinta essentia ex metallis extrahitur, cujus descriptionem Paracels. lib. 4. Archidox. de extractione quintæ essentia ex metallis tradit sequenti modo.

Metallum in aqua solvatur, postmodum hoc solutum per B. destilletur, & abstrahatur, putrisceturque tandiù, donec in oleum reducat, quod è phialis parvis, aut cucurbitulis per alembicum destilletur, & pars una metalli manebit in fundo hoc iterùm in oleum ut prius reducat, ac destilletur tandiù, donec omne metallum ascenderit: postea putriscetur iterum per mensem: lento demum igne rursus destilletur, & vapores primùm ascendent, atque defluent in receptaculum, quos amovebis. Tandem ascendent obscuri duo colores, unus albus, alter verò juxta metalli naturam, & conditionem. Et cum ascenderint, omnino separantur in recipiente, sic ut essentia

quinta maneat in fundo, color autem albus corporis natet superius. Hæc duo separato per tritorium, ac phialâ aliâ excipe quintam essentiam, cui vinum ardens affunde purificatum, & maneat cum ea tamdiu, donec prorsus acuat, postea coletur, vel separetur ab essentiâ quintâ, & recens iterum affundatur: hoc toties feceris, donec acuitatem nullam percipias amplius. Tandem aquam bis destillatam affundas, qua quidem abluatur, & ad suam dulcedinem perducatur; ita asservato. Hæc viâ præparatur essentia quinta metallorum. Album verò si reduxeris, habebis inde malleabile corpus album, & metallicum, quod cognosci nequit, sub quâ specie contineatur. Plures aliæ viæ reperiuntur ad extractionem essentia quintæ, quas quidem subicemus, quod à nobis extractiones veræ quintarum essentiarum non existimentur, sed tantum transmutationes, in quibus extractio nulla fit; nec venit in usum.

Ignis, sive sulphur veneris dum dicto præcipitato affunditur, sulphuri mercurij extraverso inleparabili thoro conjungitur, efficitque ut nunquam amplius in mercurij centrum se recipiat, luduntque tunc in pulveris superficie ambo sulphura, alterum mercurij, quod summum est resolutivum, & alterum Veneris, quod summum est anodynum, ex quorum reciproca virium conseratione, in curando tot prodigia emergunt.

Hujus arcani energia, sive hoc medicamen præscripto jam instituto conflatum, sive aliud ex aliis mineralibus, alioque artificio confectum, dummodo diaphoreticam attigerit indolem, omnibus curandis morbis, qui curationem admittunt, erit efficacia præditum, eritque in

arte medendi Catholicum, quo complebitur quidquid Physicus, & Chirurgus optare possunt sanando.

Hinc aliqui stante sulphuris veneris imperitia, adhuc absque eo diaphoreticum mercurium parare nituntur, qui non adeo perfectus, tamen omnia alia vulgaria mercurialia medicamenta sua activitate superat, ejus descriptio talis est.

℞. Pulv. Joan. de Vigo, qui fit ter præcipitando merc. per opt. aq. fort. & ad summam rubedinem redactum, adhibito igne forti in fine destillationis, cohoba, deinde quinquies cum opt. aq. regis, in fine cujuscunque destillationis augendo ignem, & erit pulvis valde corrosivus, tunc cohoba decies cum spiritu vini opt. alkoholizato, vel toties donec dulcis f. ut saccharum.

Ufus ejus est in lue venereâ hydrope, febribus, ulceribus, omnibus ferè aliis morbis, qui ex materiali aliqua causa producuntur, ac foventur; nam corpus humanum quantumvis sordidum purgat, ac abstergit, si prudenter tamen exhibeatur.

Dosis est gr. ij. iij. usque ad iv. in formâ pil. In febribus autem exhibetur ante paroxysmum cum aliquo sedativo, ut Nepent. pil. de cynoglossâ. In lue autem gallicâ, ulceribus, aliisque affectibus poterit exhiberi cum pil. vel confect. solut. Theriacâ, &c. Vel mane jejuno stomacho, vel etiam quandoque vespere ante canam, ut videbitur.

Summa mercurij homogeneitas, non patitur propriæ essentia separationem, sed aquæ elementaris ad instar ad ignem vel totus evolat, vel diu impermutatus in suâ essentia perseverat. Nam si in vapores cogitur, ac subtiliatur, non mutatur

tur in se, sed à frigore percussus, in pristinum redit mercurium, non secus ac communis aqua, dum in vapores cogitur, non transmutatur substantialiter, sed tantum accidentaliter, ideoque sub vaporum larvâ, impermutata perseverat aqua, non secus ac erat prius. Patitur verò mercurius seminales impressiones sub seminum fermentali activitate, ac secundum se totum hoc, vel illud facessit metallum, vel semiminerale &c. Sicut & aqua, quæ etiam suâ homogeneousitate summè gaudens, tantum à seminibus subacta, non patitur propriæ essentiae separationem à se ipsa, sed tota sub corporum generis accretione materialiter perseverat.

Hæc verò non animadvertentes aliqui varia dum conati sunt è mercurio, sicut & ex aliis mineralibus, extrahere magisteria, ut salem, spiritum, oleum, &c. undè frustra tempus, operamque consumpsere, ac si aliquid spiritus, vel salis è mercurio extraxisse jactent aliqui, præsertim Alchymia, & Cryfopopæia operam dantes, vel in errore versantur, vel alios decipere conantur. Nisi velimus dicere, quòd si spiritus, vel sales hujusmodi mediis corrosivis, dum è mercurio extrahere forsan tentarunt, ij nil aliud sunt, nisi fortium spirituum sales volatiles eadem activitate, qua solvunt, vel fixati, vel adhuc volatiles permanentes, non autem mercurij, undè.

Aliqui spiritum mercurij album diaphoreticum ita parant.

℞. Merc. sublim. tenuiter pulverizati p. j. argillæ rub. p. iij. m. & fac cum aq. com. globulos in umbrâ exsiccandos, destilla-

dein ex retortâ vitreâ per arenam igne suppressionis (gradatim rāmen) horis 2. adhibito, prodit elegans spiritus, quem serva. Si quid mercurij sublimetur, cum recenti argilla m. & procede, ut antea. Dosis gr. j. ij. iij.

Spiritum verò mercurii rubrum hoc modo.

℞. Merc. sublim. tenuiter pulverizati, limatura martis an. m. & resolve per deliquium in ol. flavum, quod diligenter collige. Residuo (quod non solutum) affunde aq. com. ac extrahere sal: sal purificatum, & coagulatum denuò ol. conjunge, fietque aurei, vel crocei coloris. Destilla in arenâ ex cucurbitâ humili per alembicum brevis rostri, primò exhibet phlegma, quod seorsim colligatur, auctiori deinde igne ascendit rubedo, quæ partim in excipulum (quod mutatum sit) destillabit, partim in alembico, & rostro, butyri instar, adherescet: urge ignem, donec nihil amplius ascendat, tunc cessa. Phlegma destillatum unâ cum rubedine ad spondilia cucurbitæ elevata, redde capiti suo mortuo, reitera; destillationem per alembicum eundem, vix incallescendo alembico, liquecet rubedo in alembico adherens, exstillabitque rubicundissimè in excipulum: postquam rubedo hæc extillaverit, mutato excipulo, suscipe phlegma subsequens, ac postea rubedinem aliquam igne auctiori, ut antea collige, idque repere tot vicibus, quot opus fuerit.

Ufus utriusque hujus spiritus magnus est, in primis verò rubri: expellunt per sudorem quodcumque in corpore noxium fuerit, aliisque medicamentis difficulter cedit. In lue gallicâ pustulæ hujus usu sponte cadunt, tubercula minuuntur, dolores sopiuntur, ulcera fatida manantia exsiccantur, & consolidantur.

Dosis g. j. ij. &c. in aq. theriacali,

misturâ simpl. spiritu guajaci, decocto, & similibus.

Oleum mercurij diaphoreticum dulce ita paratur.

℞. Merc. sublim. q. v. solve in aceto destillato, digere, & abstrahere acetum destillatum ad siccitatem, residuum in retorta digere cum spiritu vini rectificatissimi, donec fiat crassus liquor. Hinc destilla ex arenâ igne forti, & prodibit liquor instar lactis. Lacteum hunc liquorem reasfunde materie in fundo relicte, & destilla denud. Sic exstillat oleum album, ac fragans sine corrosione.

Curat ulcera maligna, cancerosa, præsertim renum, & vesicæ. Vfus tam internus, quam externus.

Aliqui ex mercurio ita sulphur extrahunt.

℞. Merc. sublim. q. v. affunde acetum destillat. stent per septimanas aliquot, ut extrahatur flavedo s. a. Decantatos liquores destilla ad siccitatem, & habebis pulv. rubeum, qui est verum mercurij sulphur.

Vires. *Paracels.* maxima huic attribuit præconia, in curandâ podagrâ, epilepsiâ, morbo gallico, &c. quorum radicem per sudorem expellit. Dosis gr. iij. iv.

CAP. IV.

De Metallorum Preparationibus.

Explicatis jam in superioribus aliorum mineralium magistris, nunc ad ea enucleanda aggredimur, quæ ex metallis educuntur, singula in singulis articulis expendentes, circa quorum anatomen more nostro, quæ detegenda occurrunt,

breviter aperiemus, initium facientes, ab auro, tanquam omnium perfectissimo.

ART. PRIMUS.

De Auro.

Aurum Sol appellatur à Chymicis, quia Soli, tum macrocosmico, seu cœlesti, tum microcosmico idest cordi sympatheticè respondere creditur. Appellatur quoque *Rex metallorum*, quod principatum inter metalla sibi vendicat. Græcè dicitur χρυσός. Est aurum corpus metallicum nobilissimum, solidissimum omnibus metallis natura, & perfectione superius, fixissimum, & incorruptibile.

Compactum est in terræ visceribus ex principiis perfectis, sulphure, mercurio, & sale summè coctis, digestis, & maturatis. Ex sulphure quod est ad summum à naturâ sublimatum, & ab omnibus facibus, nigredinibus, & spurcitiis depuratum, ut nullum uspiam ex omnibus metallis esse possit. Ex mercurio, qui secundum naturam metallicam ad summum separatus, ac ab omnibus terrestreitatibus, & accidentibus liber in purum mercuriale corpus ad summam perspicuitatem transmutatus est. Ex sale, quod est ad summum crystallizatum, tamque subtiliter sequestratum, & depuratum ab omnibus suis acrimoniis, acerbitatibus, aluminositatibus, & vitriolitatibus, &c. ut nihil adhærens jam habeat, sed exquisitè in se ipso ad summum elucidatum, & ad diaphaneitatem evectum sit. Ex sulphure citri-

citrinum obtinet colorem; ex mercurio compacto pondus reliqua metalla excedens, & constantiam; ex sale solidissimum, fixissimum, & incorruptibile corpus habet. Malleo maximè dilatur, cum mercurio vulgi facillimè præ reliquis metallis unitur.

Hæc tria principia purissima ita inseparabili thoro, & indissolubili nexu uniuntur, ut permanentia, & indissolubilia fiant, & *facilius est ex non auro aurum construere, quam ipsum destruere.* Hoc ob ingentem unitatem, & optimam mitionem, adeo fixam nanciscitur naturam, quod non modò communem sequitur, permanentiam, verum etiam incorruptibilem ferè temperiem. Hinc est quod quanquàm longioribus sæculis aurum in terrâ, vel in aquâ sepultum maneat, nunquam rubiginem contrahit: Sicuti in igne diutissimè permanens, non modò aliqua ex parte comburitur, aut evolat, sed & depuratus, & splendidius efficitur. Ad hæc ob optimam sui unitatem, nullo phlegmate, nulloque piagui redundat, ita ut perpetuò fulgeat, splendidissimumque perduret. Quin etiam tractantium manus nullo colore tingit, nempe croceo, aut nigro, quemadmodum cætera faciunt metalla. Neque etiam aliquo odore, aut sapore gustantium, aut olfactantium, tum nares, tum palatum inficit.

Nullum habebat olim usum in medicinâ, Arabes primi tanti metalli vires experti sunt, atque suis compositionibus immiscuerunt, limatum, aut in foliola redactum, quam

quidem crassam, rudemque ejus præparationem nostri pharmacopœla adhuc retinent, à vulgaribus Medicis persuasi, qui aurum lima comminutum, aut foliatum languentibus propinant, quasi verò struthionum stomachos, ferrum digerentes habeant. Medicorum vulgus magnâ simplicitate aureas catenas, nummos, & his similia in liquore extinguit, vel cocturam facere molitur, & quidem aquâ simplici, in turbidâ quadam potione, in melle, in jure aliquo, aut vino ad confortationem spirituum, ac membrorum principalium. Nonnulli in confect. elect. multisque aliis medicamentis, miscent ut in *Diathamaro* secundum descriptionem *Nicolai*, elect. de gemmis, elect. lætitia *Gal.* confect. cardiacis, aureisque *Alexandrinis*. Aliqui in aureis vasis, & edere, & bibere delectantur. Verum impossibile est, aurum fixissimum metallorum à debili calore, & fermento ventriculi insito digeri, & actuari posse, quod igne vehementissimo, reliqua metalla vincente, lapidesque consumente, non uritur, sed purius, ac perfectius redditur: donec ad summum suæ perfectionis gradum devenierit, tunc in igne tanquam Salamandra jubilat. Non aurea, majorum sæcula ad nos refluxerunt, quibus thesauri adeo vilescunt, ut ipsa ægrorum intestina, œsophagus, & labia, mentum, & barbæ, obryzo incrustentur auro. Taceamus hanc insaniam, & prodigalitatem, nisi ægri quoque magno, incommodo indè tentarentur, dum, scilicet actio chylicationis, suctio, & transitus chyli per lacteas ex intestinis,

, testinis, ejusmodi aureis corpusculis intervenientibus, turbetur. Nam quædam venarum osculis, in mesenterio, & intestinis sitis, se insinuarent; quædam citra alterationem, ut ingesta, per alvum cum excrementis inauratis descenderent; reliqua verò corporis Economiam turbarent. Aurum limâ comminutum, aut foliatum medicamentorum compositionibus admistum, nullum alium usum habet, nisi ut vulgi oculos pascat, & saturet. Verum dum fallaci hoc auri fulgore plebis oculos demulcere volumus, saltem ea ratione id præstemus, ne sumptuum, & crumenæ pauperum immemores, illis fortunas simul, & sanitatem insania hac nostrâ prodigalitate eripiamus.

Auri vires roborando cordi, spiritibus vitalibus, & sanguini mundificando dicatas esse tradunt propter mutua cordis, & auri effluvia sympathica, & magnetismum inter aurum, & cor, quod alienum à veritate esse supra allatæ rationes convincunt; applicari quidem posset extrinsecus majori in copiâ, atque dubio procul majori cum utilitate, vel nullo dispendio. Hoc unum scio, aurum in crumena gestatum, cor roborando, & latificando cor, præstans esse contra melancholiam remedium.

Ut ab auro essentiam suis machinamentis melioris notæ spagyrici separarent, diu insudârunt; tandem nunquam mediis suis dissolventibus auri essentiam cum ejus destructibilitate, sicut & in aliis contingit metallis, extrahere: varij enim variis solventibus licet id tentavere, ta-

men omnes operam, oleumque perdentes, remansere delusi, etsi forsan aliqui sunt, qui aurum potabile, quintam auri essentiam, sulphur auri, & similia arcana adepti fuisse jactent, ij vel decepti decipiunt, vel alios decipere conantur. Etsi magisteria ex auro ad magnos usus conservant, ea nil aliud sunt, nisi essensificati spiritus, vel aquæ fortes supra auri corpus; vel si auri aliquid comminutum in se ipsis retinent, illud intransmutatum perseverat, & facile à perfecto spagyrico in pristinum aurum reduci potest.

Neque verò omnis virtutis auri expertes fuisse remur præparationes à Paracels. in *Archidox. lib. de Vitâ longâ* aliis in locis descriptas, ex eo quia Paracels. cum Circulato majori aurum dum tractavit, facilis fuit virtutis ejus aliqualis extractio. *Helmont.* etiam impossibile existimat ab auro essentiæ separationem, ob summam ejus homogeneitatem, ut in *Progymnasin. meteori §. 6. & tract. cui tit. pharmac. ac disp. modernum §. 55.* aliisque in locis fusè demonstrat. Quapropter frustra labore videntur omnes, qui conantur ex auro magisteria elicere, nisi prius aurum in primam sui materiam resolverint.

Vulgares verò varii spagyrici, tanquam summum arcanorum arcanum summè jactant *aurum potabile*, quod multis modis per auri comminutionem per diversa solventia factam efficere conantur; præcipuum verò modum placet hic adducere.

℞. Auri q. v. solve in aq. Regiâ, solutum per ol. tart. per d. facti sensim præcipita in pulv. tenuiss. quem edulcora multis

multis lotionibus per aquam puram factis, donec tota acrimonia aq. regis evanescat. Deinde exsicca levissimo calore solis (adverte ne exsiccet igne, quia magno cum fragore accenditur, diciturque idè aurum fulminans, Græcè Κεραυνο-χρυσον, tùm demùm hunc pulv. fulminantem diss. in spiritu salis essensificato, & dissolutionem sove in B. tepenti per dies xv. vel in ol. seu essentia vitrioli, vel in sale tart. volatili, & serva ad usum.

Circumfertur esse omnium membrorum curativum, & præservativum hoc arcanum, ac omnia alia artis spagyricæ arcana in virtute superare.

Dosis est à ℥β. ad j. in aquis cinnam. caryophyll. &c. quacunque horâ diei.

Sunt etiã penè innumeræ aliæ auri potabilis descriptiones authorum, sed nullius forsan energiæ, si quis eas desideret, penes eos legere poterit. In descriptâ autem auri potabilis præparatione aliquid virtutis in esse remur, idque potiùs ex spiritu salis essensificato, aut spiritu vitrioli, vel sale tart. volatili prodire, quàm ex ipso auro censemus ob prædictas rationes.

Aurum fulminans, fertur esse insigne sudorificum, & Bezoarticum, cujus dosis est à gr. iij. ad iv.

Aurum fulminans complurima, quæ priùs uti portenta in Philosophiâ suspiciebantur clarissimè demonstravit, nec amplius tot, tantisque verborum nugis rerum naturalium effectus sub obscuro delitescent. Tonat tale aurum tanto cum impetu, ut nec Bombarda, vel aliud quidpiam ita vehementius explodendo aërem impetat. Flammam

tamen, & scintillas non concipit, nec ut multi credidere deorsum fertur tantâ vi, ut durissima quæque subiecta, etsi ferrea perforet, neque vel levi calore agitatam tonat; Siquidem sæpiùs periculum fecimus, nec horum quidquam, quæ vulgò circumferuntur vidimus, quinimò duabus, vel tribus pilulis super ferrea lamina, alia lamella superinducta positis, multo, jugique calore experti fuimus aurum tonasse, & lamellam ad superiora magno impetu enixam. Hujus impetuosæ eruptionis tanto cum sonitu emissæ causam explorare dignum videtur. Non ab aliâ exoriri existimo, quàm à sale armoniaco, & tartari oleo pedetentim infuso, quæ in solis corpus strictim adherent. Etenim aurum, ut fusiùs suprâ explicuimus ex perfectissimâ depuratorum principiorum missione præcipuè salis defæcati valdè fixum evadit. Sal verò armoniacum est admodum volatile, ideoque facillè sublimat, undè nè totum simul sublimet cum spiritus ex eo elicitur madida argilla cohibetur, tùm quia argillosæ particule nonnihil suo motui resistunt, tùm quia per ammoniaci corpus intermixtæ illud separant, nè totum simul junctis viribus sublimet, quippè mercuriali naturâ præditum sulphure abundat; Proindeque sal, & aquila cœlestis, sal mercurialis, &c. vocarunt.

Particulæ igitur salis armoniaci, utpote volatiles minus impuræ sunt, magisque de ætheræâ substantiâ participantis soli maximè cognatæ sunt (non enim agerent in aurum, nisi uniri peterent, sedemque sibi aptam

quærent) ubi in auri particulas incidunt, faciliè per cavitates, quas reperiunt, se intrudunt, illas solvunt, sedemque tam aptam sibi extruunt, ut ab omni motu desistentes arctissimè perstringantur, sal verò tartari paulatim instillatum (oleum enim nil aliud est, nisi sal solutum, ut diximus) magis stringit prius unitas particulas. Etenim aliquas, licèt exiguas inter illas particulas inveniens aptiorem quærit locum, unde ille motus excitatur quem posteaquam invenit intra suas ramosas, seu crassiusculas particulas corpusculis salis armoniaci in illis auri fixatis secum strictim velut intra labyrinthum involutis sistit, velut gluten inter illa implicitæ in compactiorem massam coguntur; si verò totum simul oleum immergatur magnum motum excitans priorem compagem auri cum sale armoniaco exturbat, ita ut non possint priori sedi restitui, vimque fulminantem aurum amictet. His ritè expensis, facilis est ratio, undè magnus sonitus nascatur, quippè cum hæc compages à magno calore conetur exturbari (magnus debet esse calor, nam stricta unio resistit) particula omnes simul vim rejiciunt; sed à calore superata (etenim faciliè à suâ quiete jam acquisita sal ammoniacum excitatur), sunt salis ammoniaci particulae utpotè volatiles, & ad sublimandum aptissimæ concitantur, paulatim tamen propter auri particulas, & olei intermitionem cohibentes illud, non secus ac argilla, postea verò à diuturno calore nimis percitæ, magnumque spatium exposcentes ad suos motus descri-

bendos totius massæ vincula immoderato impetu disrumpunt, quia auri particulae, & olei durissimam compagem intexerunt. Undè omnes simul violenter dislocatae erumpunt, amplioremque locum exposcentes, circumfusus aërem, tam subito, tantoque impetu propellunt, ut ingens sonitus indè oriatur. Tantus impetus ideò omnes excedit, quia auri massa ex se aliis durior durissima fit istorum corporum cohaesione. Separatio particularum ex illo videbitur manifestè, nam quod reliquum est, duarum specierum formam exhibet, coloris purpurei nempe, & albicantis.

ART. SECUNDUS.

De Argento.

Argentum à Chymicis luna dicitur, à græcis *Αργυρος*. Est metallum perfectum, auro tamen ignobilius, & imperfectius, constans mercurio penè fixo, ac sulphure albo, etià penè fixo, & sale vitriolato, non ita puro, sed poroso, non minus perfectis, quàm puris, sed non ita perfectè coctis, maturatis, & fixis ut in auro; non enim tam grave, nec tam fixum, ut aurum. Ideòque, etsi aliquo modo durat in igne, & in cineritio persistat: non tamen durat in cemento regali, antimonio, sulphure. Dilatatur post aurum maximè. Ex sulphure non perfectè cocto album sumit colorem.

Est metallum proximè ad auri naturam accedens, eò ut aliqui aurum esse solo colore distinctum ab alio auro,

auro putent, sed qui per ignis anatomen argenti naturam cognoverit, cognoscet quoque ejus differentiam ab auro, nam habet in se sulphur quoddam separabile à suo mercurio, & sale, quod non habet aurum, quod ob summam sui puritatem, omnem extranei sulphuris admistionem à se excludit.

Primi argentum introduxere in usum Medicum Arabes, qui non secus ac aurum, etiam medicamentis cardiacis immiscuere; hinc adhuc viget in officinis foliati argenti usus; quæ cum utilitate exhibeatur, patet ex supra dictis cum de auro supra egimus: nam sicut sub argenti formâ perseverat, ita minimè medicamento operationes perficere valere remur.

Deindè spagyrici argentum per ignis analysim tractantes varia parare nituntur ex eo medicamina. Et quidè primò per calcinationem vitriolum ex eo parant, à quo deindè essentiam, seu tincturam, oleum, vel liquorem ab aliis appellatum eliciunt.

Calcinatio verò multiplex instituitur, & præcipuè cum sulphure fit, & cum aquis fortibus.

Et quidem cum sulphure calcinatio argenti fit, argentum stratificando (prius tamen cupellatum & in subtilissimas bratteolas redactum) in crucibulo cum duplo sui ponderis sulphuris triti, & reverberando, donec sulphur totum flagret; & in auras abeat, quæ ambo adhuc ignita projicienda sunt in aquam puram, limpidam, & rursus quod remanet in fundo indissolutum, iterum cum duplo sulphuris triti calcinando, &

eodem modo in aquam projiciendum est, idque toties repetendum, donec totum dissolutum fuerit argentum, & cum sale sulphureo in aquam migraverit, aqua deindè evaporanda est, donec cuticulam contrahat, & tunc in frigido loco reponenda est, & vitriolum caruleum pulcherrimum in fundo congelatum reperies. Aquam decanta, & iterum evapora, donec cuticulam contrahat, & supra dicto modo fac, ut vitriolum reddat, idque toties repetendo, donec omnis aqua prorsus exhalaverit.

Per spiritus autem fortes luna sic calcinari potest, ut vitriolum reddat.

℞. Luna cupellata, & in subtiliss. lammellas redacta ℥ iv. *pone in retortâ, & superfunde spiritus nitri, vel aq. fortis q. suff. ad eam solvendam. Deindè per diem naturalem digere, & destilla calore B. omnem humiditatem; tunc vase refrigerato superinfunde novum spiritum, digere, & destilla omne phlegma. Deindè aquâ purâ calidâ omne quod in massam ceruleam coagulatum est, dissolve, & filtra, & tandem evapora, donec cuticulam contrahat, pone, ut diximus, in loco frigido ut vitriolum concreseat, & dicto modo procede ad omninodam vitrioli extractionem.*

Alij ad lunæ vitriolum melius præparandum, ut dictum est, dissolvendo lunam cum spiritu nitri bis, & probè evaporando humidum per distillationem, deinde quod in fundo remanet, ponunt in digestionem per 40. dierum spatium, quo tempore luna redigitur in aquam viscosam albam, quæ in loco frigido concreset in vitriolum viride, & caruleum.

Laudatur lunæ vitriolum ad plures

res ulūs, ut in morbis chronicis, apoplexiā, epilepsiā, obstructionibus omnibus, &c.

Dosis est à gr. x. ad ℥j. in convenienti vehiculo, mane jejuno stomacho.

Sic autem parato ex lunā vitriolo, conficiunt Chymici tincturam tali modo.

℞. Lunam, diss. eam in aq. forti, & affusione aq. salsa præcipitatur ad fundum matræ in calcem candidam, quæ frequentî ablutione aq. communis edulcorari debet, & exsiccare. Hujus calcis ℞. ℥j. salis præpar. ℥ij. salis armoniaci ℥ij. hæc probe m. in mortario vitreo, & reverbera per octiduum, elicitur tinctura spiritu vini alcoholizato, & circulatur.

Confert mania, & aliis cerebri affectibus.

Sed not. quod ablato menstruo remanet tinctura in formâ liquoris. Hæc eadem tinctura instar carulei ultramarini coloratissimi extrahitur ex limaturâ lunæ cum spiritu vini, in quo aliquid salis armoniaci fuit solutum, quæ ulterius postea ablato hoc menstruo, & tinctura, quæ remanet à falsedine liberata alkohole vini repetitis cohobiis, in oleum elaborari potest.

Tinctura lunæ est diaphoretica, & aliquantulum anodyna. Cerebri inflammationi, nervorum convulsioni, morbo attonito, insanix, delirio, & melancholix maximè prodest. Ejus gutt. iij. vel iv. ad vi. in aq. beton. salu. vel meliss. Est singulare quoddam remedium hepatis, lienis, & mæstruorum obstructionibus, datur in aq. cichor. centauri, min. scolopendr. Confortat omnia membra principalia, spiritusque

animales mirificè exsuscitat.

Multa alia ex lunâ parantur medicamina, quæ si vobis placet præparare, non absimili methodo, ut supra dicta præparantur; undè nunc tempus in luna teramus, sit.

ART. TERTIUS.

De Plumbo.

Plumbum, quod Saturno macrocosmico Chymicè comparatur, etiam macrocosmico saturno, lieni prodesse creditur, est metallum omnium ferè vilissimum, ponderosissimum, auro excepto, molle, lividi, ac nigricantis coloris. Constat ex mercurio copioso, impuro, & naturam antimoniam æmulante; Sulphure paucos, itidem impuro, indigesto, fatido, ac nigricante, & sale impuro, liquabili, & aluminoso.

In examine aliorum metallorum imperfectorum adhibitum, ea absument, & una in fumum abripit, aut in scorias convertit. Hinc ad perfectam, & nobiliora metalla purganda ab aliis metallis imperfectis adhibetur. Hæc operatio dicitur cupellatio, in quâ aurum, & argentum pura redduntur, evanescentibus imperfectis. Hæc Saturni proprietas vertendi metalla imperfecta in fumum, aut in scorias in examine, sive cupellatione metallorum nobilium tribuitur copioso ejus mercurio antimoniam naturam æmulanti.

Natura semper ad perfectionem, & puritatis culmen anhelat, & eatenus, quin metalla imperfecta, & impura ad perfectionem, & puritatem conducat, separata imperfectione,

Etione, & impuritate; Undè præterquam quod unumquodque metallum invicem transmutari potest, arte utente eadem materia supra terram, quâ ipsâ sub terrâ, & in suis cavernis; tamen plumbum in stannum, & argentum ope naturæ vertitur. Siquidem experientia nos docet, in mineris argenti reperiri communiter plumbum, & in nonnullis ambo simul permixta, ut argentum imperfectum videatur, ferme ob digestionis defectum: quapropter metallicarum periti rerum diligenter easdem claudunt, meatusque omnes obfirmant, nè aer illuc penetret, & spiritus metallici egrediantur. Nam eo modo minera plumbi mutabitur, & fiet minera argenti per successionem temporis, quod tamen sæculum integrum, vel circiter excurrat.

Hinc ineptum clarè percipitur quorundam stupidorum opinamentum, qui existimant plumbum, aut stannum, domorum fastigio impositum sæculi unitis lapsu in argentum transmutandum. Quippè nec solaris calor, nec confusa variorum spirituum, saliumque per aërem excursio, id perficere potest, quod proprii fermenti digestio in sodinis operatur, ut manifestum redditur ex rubigine continuo succrescente in illis laminis tecti, quæ densiores sunt temporis cursu, etenim variæ particulae acres illas assidue corrodunt, donec absumant. Nec minus rationi, & experientiæ contrarium videtur, quod *Faber* dixit hanc nempe rubiginem cum metallicis spiritibus in loco optimè clauso conditam in perfectum metallum verti. Quippè

clarum est continuâ erosionem subtiliores, seu puriores metalli partes separari, ideoque in suâ compage amplius cum perseverare nequeat, crassiores, & terrestres derelinquuntur, ut quilibet experietur, si rubiginem igne reverberij in crucibulo imponat, quæ in plumbum haud fundetur.

Plumbum per corruptionem facile reducitur in suum spiritum, cerussam, minium, lithargyrium, & postremo in vitrum, quæ sunt medicamina simplicia; composita verò sunt innumera, nam nullum extat emplastrum, & unguentum, quod non habeat cerussam, vel minium, vel lithargyrium pro basi.

Lithargyrium est excrementum spirituum, & deparatione argenti, auri, quæ fit fuso argento, vel auro commiscendo magnam plumbi quantitatem, igne folium per aliquod spatium administrato, residuum. Duo ejus sunt genera, unum argenteum, quod albi coloris, alterum aureum, quod flavi coloris existit. Verum non nisi coctione differunt, aureum magis vim ignis passum est, quam argenteum. Aureum præfertur argenteo.

Vires siccat, & refrigerat, moderatissime adstringit, reprimit, occludit, cava explet, extergit, sarcopticum est.

Minium tali pacto paratur, Funditur plumbum in matulâ terreâ, vel ollâ ferreâ, purgaturque scoriis, deinde aucto igne, ut olla candeat, continuâ agitatione cum spatulâ ferreâ reducitur in calcem, quæ cribellata postea, & diutius verberata transit in minium.

Cerussa quoque ex plumbo extrahitur ita.

℞. Laminas plumbi q. v. eas accomoda supra os vasis terrei ampli corporis, & lati orificij, affunde aceti acerrimi q. s. tege os vasis tela, ne quid expiret, relinque in loco calido, cum lamina soluta fuerint, precipitant in fundum vasis, tunc decanta aceti id quod clarum est, & quod remanet in fundo exsicca in sole, leviga supra marmor, trahice per setam, & serva.

Præter hæc simplicia medicamenta, quæ per calcinationem ex Saturno eliciuntur, alia majoris energię ad multas morborum curationes perficiendas in arte paratur, &

Primò paratur *saccharum*, sive *sal Saturni*, ita

℞. Calcis Saturni, vel minij, vel cerussa q. v. affunde acetum destillatum, stent aliquandiu, extrahaturque s. a. decantatos liquores filtra, humiditatemque abstrahendo coagula: sic habes sal saturni, quod iteratis solutionibus, & coagulationibus, primò in aceto destillato, dein quoque in aqua) purificari, & tandem ad crystallizandum poni poterit, rejectis in operatione fecibus. Si sal saturni crystallizatum in cellâ repositus, liquefit paulatim, atque hac ratione ol. saturni per deliquium acquiri potest. Si solutioni saturni instillabis ol. tart. p. j. precipitabitur in magisterium.

Vires. Saccharum, sive sal, & magisterium (utriusque eadem est ratio) intra corpus sumptum suâ frigiditate libidinem veneream extinguit: Qui in cælibatu vivere constituerunt, & illo uti volent, consultius facient, si regionem saltem externam admisto oleo inungant.

Dosis gr. iv. v. vi. in vehiculo convenienti.

Extrinsecus arcet libidinem, si

umbilicus, & priapus eo inungantur. (Nota si vicissim mederi velis, utere Balneo Laconico, & inunge umbilico oleum nucis moschatae destillatum.) Mira quoque præstat in ulceribus corrosivis, malignis, cancerosis, impetiginibus, ambustis, ac inflammationibus. Dissolvit tumores duros, & scirrhosos, applicatur commodè contusionibus, confert inflammationibus, rubedinique oculorum, in aq. ros. & euphrasie.

Secundò paratur *spiritus ardens Saturni*, ut

℞. Salis saturni, vel potius ol. saturni per deliquium q. v. destilla per retortam vitream lutatam, cui alligetur amplum recipiens, juncturis opt. clausis, aliter non parvam portionem amittes, & fragrantiam ipsius spiritus, quæ exsuperat omne vegetabile; procede destillando, servatis ignis gradibus, primò exibat fumus albus, postea ol. rubrum, ab oleo destillato primò separabis oleum flavum supereminens, & aliud ol. rubicundum, quod se ponit in fundo, & replicans destillationem, separabitur phlegma à spiritu ardente.

Hunc odoratissimum saturni spiritum servabis tanquam pretiosum Balsam. ad varios profligandos morbos, tam internos, quam externos.

Usus. Sudorificus est, hinc prodest in peste, melancholiâ hypochondriacâ, febribus ardentibus, morbo gallico, &c. Usus internus hujus spiritus non est ita tutus, ex eo quia virilitatem destruit, & emasculat, ideo illum præbere non debemus conjugatis.

Dosis à gutt. ij. ad iij. in vehiculis appropriatis.

Tertiò paratur *Butyrum saturni* tali pacto.

℥. Lithargyrii, vel minij q. v. reduc in pollinem, cui affunde acetum destillatum ad supereminentiam duorum digitorum m. in vase vitreo, stent simul per 24. horas, sed tertia quaque hora agita materiam, ut fundum petat, post residentiam acetum stillatitium clarum per inclinationem separa, & serva, dein ℥. hujus liquoris partes ij. ol. amygdal. dulc. partem. j. m. guttatim ol. in vase plumbeo, vel aeneo, ut f. Butyrum.

Ufus Butyri saturni est ad omnia, quibus convenit unguentum rosaceum, & multò potentiùs agit. Præterea ambusta omnia sanat, & citissimè ad cicatricem conducit, dolores hæmorrhoidum mitigat, & demulcet. Ulcera maligna, & depaupercentia compescit, & temperat, nè ultra progrediantur, & dolores extinguit. Applicatur exterius cum petiis lineis aceto madidis, & expressis: ejus usus frequenter iterandus, præsertim in inflammationibus, & ambustis, quia corpus ejus citò disperditur ab inflammatione.

Quartò tincturam saturni parant alii hoc modo.

℥. Crystallor. saturni cum aceto destillato fact. & edulcorat. q. v. extrahere cum spiritu vini, filtra, digerendo defæca, (subsident enim facies) abstrahere tandem vini spiritum, & remanet tinctura rubra in fundo.

Præstantissima est medicina in mania, melancholia, quartana, phthisi, lienem aperit, in melancholia hypochondriacâ apprimè conveniens est. Dosis gutt. ij. iij.

Quintò ex saturno excellens cosmeticum paratur, dictum lac virginum, quo virgines uti deberent, ut

℥. Alum. crudi 3 iv. decoquantur ad

tercias in aq. font. lib. ij. Postea ℥. Lithargyrii lib. 3. aceti vini alb. lib. i 3. Decoquantur ad residuum lib. j. colentur, & commisceantur amba aquæ, & spatula tamdiu agitentur, donec albescant.

Cosmeticum est medicamentum, cuti perpoliendæ, ac manibus lævigandis accomodum, faciem tergit, lentigines delet, cutis infectiones adimit, nec non serpigines, lichenes, impetiginesque persanat.

Johannes Schröderus lac virginis hoc modo describit.

℥. Aq. solan. nymph. lactuc. aceti an. 3 ij. dissolvantur in his lithargyr. 3 j. cerus. candida 3 iij. camphor. 3 j. stent aliquot horis, dum resederint, quæ crassa sunt, tum transcolentur per filtrum, aut cribrum setaceum.

Ufus magnus lactis hujus est, non solum in decorandis virginibus, acquirendoque nitore faciei, sed & in scabie emendanda, sanguineque sistendo, tum ad passam frontem explanandam, exporrigendamque.

Sexto parant alij aquam saturninam, sive Esculapij vomitoriam, ut

Destilla acetum fortissimum in almbico plumbeo magno, abjiciendo quartam partem aceti primò extillantis, tanquam nimis debile, reliquum excipe ad siccitatem ferè totalem, cavendo tamen nè ab aceti mellagine tetrum acquirat odorem.

Dulce est gustui, datur ad 3 j. ij. iij. usque ad iv. in febribus intermittentibus pro vomitorio, & contra epilepsiam phlegmaticam à ventriculo suscitata.

Tandem ex saturno paratur, eliciturque mercurius tantopere ab Alchymistis expetitus ad metallorum transmutationem, qui tali methodo elicitur.

Fiat lixivium ex cineribus cavell. lib. j. ciner. sarment. vitis lib. iv. calcis vivæ lib. j. silic. ust. lib. ij. cum aceto destillato. In hoc lixivio solve saturn. limat. & quando lixivium lactescit, injice Borac. (tertiā partem respectu saturni injecti) ut solvatur: dein destilla gradatim, & extillabit tandem in receptaculum mercurius currens.

ART. QUARTUS.

De Stanno.

STannum à Chymicis dicitur Juppiter, quod Jovi macrocosmico sympathicè conveniat, & proinde Jovi microcosmico idest epati. In veteri medicinā ferè nullus ejusdem erat usus, at Neoterici Chymiam profitentes in medicinam introduxere. Est metallum molle, minus tamen ductile reliquis, & veluti aridum, frangibile sub malleo, & include: album, undè vocatur plumbum album, resplendens cum lavore quodam, & argento ferè simile; Est naturæ amicum, ut quotidiano usu comprobamus. Saturno, seu plumbo longè præstantius, atque ejus materia à plumbi materia valdè nobilior, hinc ab eodem plumbo discrepat duritiæ, candore, & minori ponderositate. Permanet in igne, sed in vehemēti evaporat, & in auras convertitur. Facile unitur plumbo, undè stannarij, cum plumbum, aut stannum durum reddere contendunt, commiscēt ista duo, in unam massam, quæ multò durior evadit, quàm si ista separata essent.

Constat ex iisdem, quibus cœtera metalla, principiis: mercurio py-

riore (in genere ignobilium) maxima sui parte, molliore, & fugaciorē, quàm metalla duriora, fixiorē verò quàm plumbum; sulphure albo, sicco, impuro, & minus maturo; & sale dulci metallico sui generis.

Ex Jove non inferioris ordinis parantur medicamina pro languentium salute, licet *Quercet.* existimet stanni usum in medicinā esse nullum; nos verò contrā, ut experientiis notum est, ejus necessitatem, & usum nunquam satis celebrare non possumus, &

Primò parant sal, aut *Vitriolum Jovis* tali modo.

℞ Jovis in Angliā nati q. v. solve in aq. forti, facta ex alumine & nitro. Quiescat ita solutio, & videbis calcem Jovis albam, instar nivis, ad fundum vasis precipitari, quam sublimari oportet, sicuti cum flores albi antin. parantur, & invenies pulv. albiss. instar pollinis, in capite sublimatorij, qui in aceto vini, ter destillato, solvendus, & integrum biduum digerendus, vas sæpè agitando. Dein eo, quod solutum est, per inclinationem effuso, aliud acetum vini reassfundendum super id, quod adhuc dissolvendum restat: & omnia menstrua, usque ad siccitatem per M. B. extillanda, bonusque vini spiritus super id, quod in fundo vasis remanebit, fundendus, digerendus, decantandus, & alius spiritus substituendus, donec totum solvatur. Tunc oportet duas tertias spiritus per B. extillari, & reliquum in frigidum collocari, ut crystalli formentur, quæ separata in liquorem resolvuntur, si in locum humidum, super marmor, ponantur.

Ufus. Gutt. iij. aut iv. in umbilico feminæ hystericae calidè confricata, uteri suffocationem statim tollunt.

collunt. Hic idem liquor summum est remedium in morbis venereis. Curat omnis generis ulcera fatida, fistulas, lupos, cancos, noli me tangere, & alia carcinomata maligna. Duæ, aut tres gutt. exhibitæ intra corpus, potenter alvum movent.

Crollius hic idem Jovis sal, ita faciliiori via parat.

℞. Cinerum stamni aperto igne sine sophisticatione parati q. v. salem non aqua, ut habent irriti vulgarium descriptionum labores, sed aceto destillato extrahas, quem postea à suo sale aqua pluviali, solvendo, filtrando, & lenissimè in B. evaporando septies edulcora.

Usus. Secretum, & efficacissimum in suffocatione calidè umbilico inunctum: matrix ubi sentit calorem, confestim in locum suum redit, nec amplius indè movetur.

Dosis gr. iij. tribus, aut quatuor auroris continuis in aquâ artemisiæ, vel aquis cordialibus.

Parant secundò ex Jove non satis laudabile medicamen, qui dicitur Juppiter diaphoreticus, ita

℞. Jovis Anglicani limati, in scutellâ terrea non vitreatâ, calcinati ℥ ij. merc. sublim. ℥ iv. simul m. & per retortam destilla, igne arena, apponendo vas recipiens aq. semiplenum: cumque destillare inceperit, da ignem suppressionis moderatum, donec omnis liquor extillaverit, & precipitatus fuerit in aquam. Quod autem ad collum retortæ sublimatur abraditur, & cum eo quod destillatum est, per noctem digeritur. Aq. spiritu vitrioli imprægnata separatur, & ad usus servatur. Calx verò exsiccatur.

Usus ejus est in omnibus morbis, in quibus movenda est corporis diaphoresis. Dosis à gr. iij. ad vi.

D. Car. Musitani Pyrotechnia

Theophrastus Paracels. ex Jove, & mercurio nobile medicamen coctione parat, qui dicitur mercurius diaphoreticus.

℞. Mercurij cum stamno coagulati q. s. redigantur in tenuissimum pulverem, qui dein pulvis in aureâ scutellâ in aceto vini opt. constituta, ac vino sublimato repleta aliquandiu affervetur, tandem vinum illud alcoholizatum accendatur, idque aliquoties iteretur, & videbis vinum, mercurium, & stamnum in quandam oleitatem resolvi.

Usus hujus olei, inquit, est, ut ejus gutt. j. in vino opt. exhibeatur: atque æger stragulis opt. tectus ad sudorem se componat, sudoris autem normam, ac modum experientia abundè docebit. In lue gallicâ persanandâ adhibetur.

Tandem aquam ophthalmicam utilissimam Angelus Sala nobis descriptam reliquit.

℞. Calcis Jovis ℥ iij. aq. mell. virginei lib. j. circulentur per mensem Chymicum in ventre equino, & separando subtile à spisso, servetur ad usum.

Usus. Præservat visum senibus, si accipiatur hujus liquoris per duas, vel tres vices in hebdomadâ in convenienti dosi, cum æquali portione vini albi. Præservat etiam ab inflammationibus, fistit, & curat fluxiones corrosivas, & aufert maculas externas.

Plura aliâ ex stamno confici medicamina, atque labores describi possent: utpotè oleum ex gummi Joviali, sulphur, flores, crystalli, & mercurius currens. Verum si quis ea exoptat Clossaum, & Schröderum adeat.

ART. QUINTUS.

De Marte.

Ferrum, quod Mars à Chymicis dicitur, etsi deestandum utpotè mortis instrumentum, attamen ad vitæ præsidium est comparatum, nam inquit Plin. hoc tellurem scindimus, ferimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed etiam missili, volucrique nunc tormentis excussio, nunc lacertis, nunc verò pennato, & aliis recenter in perniciem hominum inventis.

Ferrum est metallum imperfectum ex iisdem, quibus cætera metalla, constans principiis, ex paucis mercurio, & plurimo sulphure fixo, minus liquabili, crudiori, seu ex sulphure, & sale, quæ partibus terreis crudioribus immista sunt: Inter quæ sal atque sulphur dominio superant mercurium. Hinc accidit, quòd metalla quò majori, & copiosiori abundant mercurio, eò facilius liquantur, & malleo extenduntur, unde ferrum, quia minimum habet mercurij, ideò diu ignitionem sustinet, tardissimè funditur, & malleis non cedit, nisi calefactum, & promptè calcinatur. Difficile etiam mercurio jungitur, cum ejus minus obtineat.

Est præterea aliqua differentia inter ferrum, & ferrum, quò ad loci natale solum, climata, & ferri fodi-

mas, dum id quod præstantius est, & purius chalybs appellatur, qui tamen si naturaliter defæcatus è terræ visceribus elicitur; ars etiam ferrum in chalybem excoquere didicit ita.

24. Ferrum in virgalas, vel lamellas digiti majoris crassitudinis adductum, virgule vel sine rotunda, vel quadrata parum refert, in vase terreo oblongo, & harum f. s. s. s. & capaci cum duabus partibus pulv. carbonis salicis, aut fagi, & una parte rasura cornu bovis, vas undique luto probè muniatur, idque per 4. vel 6. horas pro quantitate ipsius chalybis in furno venti cum ardentissimo igne excoquatur. Exacto tempore, & refrigerato vase, chalybem invenies perfectissimum. Quòd si artifex emolumentum majus ab hoc opere percipiat, pro lamellis, & virgulis, instrumenta cujuscunque generis, gladios, enses, & alia ex ferro simpliciter conficere poterit, eaque hoc artificio in chalybem adducere.

Ferrum, præ cæteris metallis in medicinis destinatur, ex eo pharmaca paucis expensis, & solertia reliquis palmam præripientia parari valent; attamen uberior ejus proventus, & frequentia, quâ ubique extat, nonnihil sibi derogare videtur: cum ea solum sint cara, quæ rara.

Antiquissimus fuit ejus in medicinâ usus, tam intus, quàm deforis; crudum, limatumque nostri exhibuerunt majores: sed recentiores Chymiam profitentes, varia, jucunda, & infallibilia pharmaca ex illo conficiunt, quæ diversis dotata sunt viribus; adstringendi, & aperiendi, juxta diversas ejus operationes. Vis aperitiva in volatiliori potissimum parte consistit, ac proinde in sale, & sul-

fulphure: vis adstrictiva in fixiori, adeoque in parte terrestri latitat, aperit obstructiones, & aperta obstruit, *pungit* (ut dicitur) & *ungit*, *sauvat*, & *sanat*.

Medicamenta, quæ ex Marte spagyricè parantur sunt potissimum.

Primo per calcinationem *Crocus Martis*, qui tam variè à Chymicis præparatur, ut penè infinita, & varia extant apud authores recepta, sed nos selectiora adducemus.

℞. *Limatura chalybis à sordibus ventilatione, & ablutione diligenter mundata lib. ij. salis præpar. lib. iij. m. simul, & in ollâ terreâ reverbera per diem naturalem: massam exime, & tere: dissolve in aq. calidâ, & lava toties, donec ab omni fædine, & terrestritate liberetur. Exsiccatur deinde, & in pulv. subtilem tundendo, & cribellando reducitur. Postea reverberatur per viij. vel x. dies, donec superficies elevetur, & in crocum rubicundissimum impalpabilem, quo ablato, reliqua pars toties, & tandiù reverberetur, donec tota in crocum abeat. Vas terreum limaturam continens habeat operculum, nè cineres super crocum decidant, ita tamen elevatum, ut inter vas, & operculum flamma liberum habeat transitum.*

Crocus martis omnium optimus, & ad medicinæ usum præstantissimus est, si sola limatura martis sine additione salis communis, & alterius ætherogenei per se in igne reverberij florificetur, & postea per aquam dulcem à sordibus eluatur, qui autem cum corrosivis, salibus, &c. conficitur, periculo non vacat, melius autem, & citius procedit operatio reverberationis, si priusquam furno reverberij committatur, limatura martis aliquoties puerorum

urina conspergitur; hac enim ratione inter reverberandum surgit inflorem uno, atque altero die, qui tamen quotidie colligendus est, nè ignis violentia reverberij pereat, aut ex rubicundo colore in nigrum vicissim demigret, ac desinat.

Uusus croci martis vulgaris internus est ad fluxum ventris, diarrhoeam, dysenteriam, gonorrhoeam, hæmorrhagiam quamcumque sistendam, sed cautè procedendum est; sæpè enim huiusmodi adstringentia tempestivè non adhibita majora pepererunt pericula. Quò circa sumentes, prius medicinis attenuantibus, & alvum subducentibus purgatos esse oportet. Externus ejus usus est in exsiccandis ulceribus, ac vulneribus.

Dosis a gr. x. ad xv. & ad ℥j.

Paratur etiam *Crocus Martis* è laminâ chalybis candente, & scintillante immisâ in magdaleonem sulph. cujus vi chalybs liquefcit, & decidit granulatum in vas suppositum frigidâ, vel aceto plenum. Granula exsiccata teruntur in pulv. subtilissimum, & si placet in crocum reverberantur spatio 6. vel 8. horarum.

Uusus. Virtutem hic crocus habet obstructa viscera aperiendi, & humores crassos attenuandi: unde prodest in cachexiâ, (hæc martis calcinatio est basis pulveris cachectici *Quercet.*) pallidis virginum coloribus, ictero, mensium, Jecoris, lienisque obstructionibus, affectu hypochondriaco, & similibus.

Alij alio modo *crocum martis* parant, ut

℞. *Stridura martis q. v. phiala vitree indita, acetum destillatum acerrimum*

affunde, locoque aprico expone, ut per se exsicceatur: hoc toties per integrum mensem repete, deinde per biduum reverbera, & tabula humida ad crassitiem j. digiti insperge, inde enim grossitiem iij. digitorum acquirit, sique subtilis veluti lana, & in colore purpureus.

Hujus vj. vel vij. gr. sumpta omnem hæmorrhagiam, & etiam dysenteriam compescunt.

Parant alij tincturam croci martis tali methodo.

℞. Limatura martis, & ei acetum destill. affunde & per aliquot dies ita dimitte, ut extrahat dulcedinem, que partim erit pulchra, & rubicunda, partim pallida pro ratione chalybis. Tunc acetum abstrabe, & aliud affunde, idque tamdiu repete, donec nil amplius extrahatur, quod ij. vel iij. mensibus fieri solet; hoc tempore elapso omnes effusiones commisce, & per B. destilla; residuo spiritum vini affunde, & digere: ita enim tincturam extrahit, tunc spiritum vini abstrabe, & alium affunde, & s. a. ita procede, habebis tincturam verissimam martis.

Hæc tinctura ad obstructions pertinacissimas hepatis, lienis, venarum meseraicarum, & matricis; ad icteritiam enim, & hydropem incipientem est efficacissima pondere ʒj. cum decenti liquore in potu sumpta.

Ab Osualdo paratur croci martis essentia ita.

℞. Scoriam ferri ceruleam vitrescentem, rejectam in illis locis ubi minera ferri funditur, tere in pulu. minutum, pone in vitro, affunde acetum vini destillatum acerrimum, stet in calore mediocri per xlv. dies, & tingetur colore rubro filtra, & abstrabe in B. remanet materia rubra, ter, vel quater aq. pluv. abstrahitur, ut

sapor aceti evanescat: potest etiam prius in tigillo, in arenâ calidâ parum calcinari movendo, ut aceti evanescat aciditas, & postea cum aq. edulcorari, si debite tractetur, sponte se se in cellâ postea pars in ol. supra marmor resoluit.

Uusus. Conducit in sistendis mensibus, ac fluxionibus intempestivis. Prodest albæ profluviei muliercularum, gonorrhœæ, hæmorrhoidibus, dysenterix, fluxui hepatico, & diarrhœæ, urinæ incontinentiæ, & diabætæ. Hæmorrhagiæ internæ, si ejus à ʒj. ad ʒʒ. cum succ. cydon. condensato, seu conf. ros. ʒiij. assumatur, aut vulneri sanguinem fundenti aliquid inspergatur. In omnibus jecinoris, & lienis obstructionibus deploratis, sed sumentes prius medicinis (ut diximus) attenuantibus, & aluum lubducentibus purgatos esse oportet. Lienosis datur ex aquâ asplenij, adianti, tamarisci. In hepatis affectionibus in aq. intybi, cichor. agrim. exhibetur, tunc sistit sanguinis sputum. In morbis dissolutis, hydropes, & aliis, ubi consolidatione opus. Ventriculum corroborat, & nauseam tollit in conf. ros. vin. generoso.

Dosis à gr. viij. x. xij. ad xv. in vino rubro, aq. plantag. burse pastoris, tormentillæ, in conf. symphyti, &c.

Secundò parant ex chalybe Vitriolum martis ita.

℞. Chalybem, & cum sulph. calcina, eo nempe modo ut sulphur calybi ad summum candefacto super aq. admoveas. Hoc enim facto chalybs statim liquefit, & in aquam destillat: hunc itaque ex aq. exemplum exsicca, tenuissimè contere, ol. sulph. acidum rectificatum affunde, aliquandiu digere,

digere, & postremò in aquam destillatam infunde considet hoc pacto vitriolum non contemnendum.

Alij tali pacto martis vitriolum conficiunt,

℞. Spiritus vitrioli, vel sulph. per campanam facti, licet non rectificati ℥j. aq. com. ℥ij. m. in matraccio, & adde limatura martis ℥j. hocque asservatum colloca in cineres calidos, ut omnia bulliant lentissimè spatio 6. horarum. Postea infrigidari spontè permitte: invenies in vase generatum vitriolum viride, splendens, quod calore dissolvitur, frigore coagulatur.

Nos verò ità martis vitriolum conficere solemus.

℞. Limatura martis mundat. ℥j. spiritus vitrioli, vel ol. sulph. per campanam facti ℥iv. m. in matulâ, & statim spiritus vitrioli, vel sulph. ebullit, stent simul spatio 24. hor. affunde postea aq. com. ℥iv. & filtra calidè per chartam emporeticam. Destilla lento igne in vase vitreo, quòdusque appareat cuticula, tunc permitte refrigerari in cellâ vinariâ per aliquot horas, & invenies martis vitriolum, quod amove, & reitèra ad omnimodam vitrioli extractionem.

Uſus 1. Est blandè vomitivum, si exhibeatur ad ℥ss. 2. Ad asthma in syrup. pectoralibus ad gr. iij. 3. Est medicamentum specificum in strangulatu uterino, & hydrope matricis. 4. In suppressione mensium. 5. In pallidis virginum coloribus. 6. Hydrope. 7. Scirrhus hepatis, lienis, & mesenterij. 8. In obstructione hepatis, lienis, & mesenterij. 9. Est singulare remedium in melancholiâ hypochondriacâ. 10. Tandem in cancro, &c.

Parant tandem alijs spiritum vitrioli

martis calcinando martis vitriolum, destillant processu, quo vitrioli spiritum eliciunt, asservantque sine rectificatione, aut phlegmatis abstractione, nè spiritus ejus sulphureus tollatur. Est enim hic spiritus gratissimi saporis, cum moderata aciditate dulcedinem quandam sapit. Hepati, lienì, & ventriculo roborando, tum etiam obstructionibus eorundem referendis efficax est. Ventriculos cerebri permeat, unde epilectis, & apoplectis destinatur, in vehiculis quibuscumque exhibitus.

Ex marte varia componuntur medicamina, ut sunt vinum martiale, rotulæ, pilul. elect. syrup. & ipse mars potabilis, quæ cum sint vulgaria, meritò omittimus.

ART. SEXTUS.

De Cupro.

ÆS, seu cuprum Venerem spagyrici appellant, quod cum Venere cælesti in macrocosmo, cumque generativis partibus in microcosmo sympathiam habet; unde sal albus ex chalcanto Veneris præstat ad certissimam omnium morborum sanationem, qui matricem infestant, & præcipuè suffocationis pericula. Idem sal cum pari quantitate salis nitrì crystallizati junctum contra dysuriam; urinæ ardores, & renum inflammationes solatium præbet. Spiritus acidus opem fert illis, quibus deest facultas retentrix seminis, & qui perpetuâ gonorrhœâ laborant. Est metallum imperfectum, durum, ac solidum, igne fu-

sibile, & sub malleo extensibile, constans ex paucis mercurio citrino, & impuro; sale rubro; & sulphure infixo, purpureo, & impuro, non dum benè maturatis. Est hinc auro cognatum, & principia, ac semina auri in se continet: undè si magis ejus materia fuisset cocta, aurum dedisset purissimum. Est enim in cupro sulphur rubeum, sed infixum, & impurum valdè, natura non potuit ipsum figere, & depurare ob temporis angustias, quas habuit in figendo, & depurando; opus enim incaptum jam rapiunt avari, & aurum inde fieri expectare nolunt, malunt cupro uti, quam posteris aurum futurum relinquere: ergo quod natura non fecit, ars naturam sequendo, idem ipsum potest.

Laudatur æs, quod reperitur in insulâ Cypri. Duplici colore dotatur; unum quod in colore est auro simile, & à latinis aurichalcum appellatur; alterum quod rubrum est, absolutè æs vocatur. Chymici parvifacientes rerum colores, absque ullo discrimine æs, & aurichalcum Veneris nomine indigitant, & licet æs, & aurichalcum in superficie diversos ostendent colores, tamen Chymici naturæ penetralia trutinantes, apertè ostendunt hoc nobile minerale intus jucundissimum, cyaneum habere colorem, ut patet in multis medicaminibus quæ ex eo parantur.

Caterum cuprum insalubre metallum est, sive crudè, sive simpliciter in suum vitriolum resolutum, sive extractum, mediante aliquo simplici menstruo. Sive enim acetum, sive alius succus acidus, vel liquor salinus urinosus æri affundatur, aut vasi

æneo infundatur, nil aliud elicitur, nisi insalubre vitriolum cerulei coloris, sapore amaro, eruginoso, & nauseoso, stomachi cum intestinis œconomiam subvertens, ac legitimi veneni mineralis symptomata, effectusque producens; quæ symptomata, pravaeque effectus patiuntur, qui vinum in æneis vasis potant, propter viride æs, sive vitriolum ex ære ab aciditate vinosa extractum, sive resolutum. Monendi sunt itaque pharmacopola, nè sua medicamenta, quæ acridinem, & aciditatem sapiunt, in æneis, aut ex aurichalco paratis vasis, conficere velint: sed potius in ferreis, è metallo omnium saluberrimo, aut terreis, lapideis, vitreisque instrumentis, acria, aut acida, vel saltim vinosa, medicamenta parent. Neque per hoc omnem usum Medicum cupro denegare, sed tantum crudi, aut simpliciter soluti æris usum internum improbare intendo; artificiosiora verò, & Philosophica ex ære parata medicamenta non satis in medicinâ commendare possum; *Helmont.* enim ex ære elementum ignis ex vitriolo Veneris parat, quod est summè anodynum, cujus extractionem cum de mercurio egimus, docuimus.

Æris usus antiquitus fuit ante argentum, & penè etiam ante aurum. Virtutes ejus, & facultates ab omni ævo nobis innotuere. Vetusissimus *Hippocrates* usus fuit intrinsecus, & extrinsecus, ad hydropem, ad pleuritidem, &c. *Galenus* ejus usum in extrinsecis morbis multum commendat, in intrinsecis liberè fateatur de eo, ac de aliis mineralibus periculum nullum fecisse, ut qui in
his

his non esset valdè euditus: de hydrargyro, quem non esse de spontè nascentibus dicit, manifestè denotat. Posteriores græci nec ejus intrinsicum usum commemorant. Ad ulcera verò suis unguentis, & emplastris sæpius miscebat æris squaman, ejus eruginem, florem, & ustum. Medici verò Chymicâ arte edocti, relicto arte crudo, alias præparationes agnoscunt his longè præstantiores, ex quibus frequenter experimur.

Primò *Veneris crocum* tali pacto parant.

℥. *Laminas Veneris f. s. s. s. cum sale præparat. calcina paulatim leviter igniendo. Postea ignitas in aquam injice, atque à nigredine benè elue, iterumque f. s. s. s. calcina, atque elue ut prius. Tandem coque, ac repone, ut subsideat crocus, quem edulcora aquâ, & exsiccatum in vitro debitè munitum serva.*

Veneris crocus præditus est virtute adstringente, & exsiccante: cujus usus, ut plurimum in externis, qualia emplastra, unguenta, & pulveres adstringentes sunt. Proficius est ad siccanda ulcera, quæ copioso humore madent.

Non absimili modo *Veneris calcinationes* fiunt, ac de ejus croco diximus: Dissolvitur enim cuprum in aquâ forti, ex sale nitro, & alum. facta, & affusione aq. tepide cum particula martis, vel lune præcipitatur ad fundum vasis. Post abstrahere rursus aquam fortem per distillationem. Vel lamina *Veneris* reverberantur in asustum in fornace sigulorum, quod faciliè contritione in calcem redigitur. Vel lamina ponuntur in crucibulo cum aquali parte sulph. triti f. s. s. s. & reverberantur 3. vel 4. horis in asustum.

Hujus usus est in ung. *Ægyptia-*

co, *Apostolorum*, præcipitato nigro, empl. de gratiâ Dei, &c. utimur loco flor. æris, quibus caremus. Prodest ulceribus putridis.

Secundò *Veneris vitriolum* tali ordine conficiunt præter descriptionem, quàm art. de vitriolo tradidimus, ut

℥. *Cupri calcinati, sive squamarum cupri q. v. reduc in pollinem, quem in aceto destillato per diem naturalem digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde, & aliud reasfunde toties, donec non tingatur ulterius. Deplorationes filtra, & ad tertiam evapora, vel destilla, quod relinquitur in fundo vasis, ponatur in locum frigidum, habebis vitriolum viride, obscurum, & splendescens.*

℥. *Lamin. Veneris q. v. cum ana sulph. triti (ut dictum est in Veneris calcinatione) reduc in pulv. subtilem, & in ollâ terrea cum sulph. trito calcinatur continuo cum baculo cupreo movendo, donec totum sulphur combustum fuerit. Hinc calx denuò teritur, & cum octavâ parte sui ponderis sulph. triti calcinatur, ut supra, hocque quinquies, aut sexies repetitur. Postea calx ista in aquam ferventem projicitur, & baculo sæpius movetur, dum fundum vasis petit, & aqua refrigeratur: quæ filtrata evaporet ex tribus partibus, & ponatur in locum frigidum, ut crystallos caruleas producat.*

Compendiosiori tamen processu *Veneris vitriolum* parabis, si illud efficies, ut de martis vitriolo diximus, eritque majoris efficacix, & energix.

Ulus vitrioli *Veneris* absque alia præparatione valdè utilis in cachexiâ, ventriculo prodest, inappetentiam corrigit, fluores genitalium, tam hominum, quàm mulierum sistit,

sistit, attamen in pauca dosi, aliter vomitionem excitaret.

Spiritus vitrioli Veneris eodem ferè modo, quo spiritus vitrioli martis, destillandus est per retortam probè lutatam, igne aperto, ad extremam radicalis humiditatis, oleique rubri expulsionem continuato igne, & ad ultimum gradum usque adaucto, spatio. ij. dierum.

Hujus spiritus virtutes in roborando stomacho, ad medendum morbis capitis, febribus extinguendis, hystericis sublevandis, aliisque morbis curandis non sunt exiguæ.

Oleum rubrum ex vitriolo Veneris elicatum, est mirabile in affectibus renum, & vesicæ, itè in uterinis affectibus.

Parant alij *oleum viridis aris* causticum ità.

℞. Virid. aris part. j. nitri part. ij. ponantur in catillo, incendantur carbone, donec deflagraverint, quod remanet solvatur in cellâ per deliquium, vel in vesicâ suillâ diligenter clausa in aq. demersa.

Valet ad pustulas Venericas, & verrucas absumendas.

Sal Veneris eadem ferè methodo ac diximus in præparatione salis vitrioli, elicatur: & utriusque eadem est præparatio. Veneris sal calefacit interiùs, quàm reliqua metallorum salia, corroborat ventriculum, cruditatesque inibi emendat, proinde flatibus, aliisque affectibus inde oriundis v. g. colico, & similibus medetur. Uterum frigidum calefacit, ejusque suffocationem sanat, menstrua promovet, renum quoque morbis succurrit. Dosis gr. ij. iij. ad v.

Parant tertio nonnulli insigne

medicamen, qui dicitur *mercurius Veneris diaphoreticus* ità.

℞. Limatura Veneris ℥j. merc. meteorizati ℥ij. salis mercurialis ℥ij. s. Trita, & simul mista pone in matrarium firmum, dando ignem arena: donec instar cere omnia liquefiant. Tum matrarium ita calens frigida impone, ut in partes dissiliat, & mercurius subviridis effluat; quem exsiccatum in retortam parvam, cum spiritu sulph. vel vitr. in cineribus per diem naturalem digerendum collocabis: & postea cum binis cohobis in arenâ destillabis: tandemque ablues bis, aut ter, & ultimæ vice aq. cord. vel spiritum vini.

Ufus. Non tantùm præstantissimum remedium diaphoreticum est contra luem Veneream: Verùm etiam insigne Bezoarticum contra pestem. Dosis gr. j. vel ij. in aquâ theriacali, vel aliâ specificâ.

Ex viridi ære aquam conficimus, quam mineralem appellamus, quæ per syphonem in penem injecta, gonorrhœam gallicam curat. In hanc eandem aquam mercurij meteorizati aliquot grana dissolvere solemus, qua caries, pustulæ, & ulcera gallica statim persanantur.

Egimus de mineralibus perfectis, ex quibus in usu Medico magnam medicaminum supellectilem ad morborum sanationes extraximus; meritò nunc pro eorum completa cognitione de Bezoarticis agamus, oportet, quæ ex ipsis educuntur, cum illa maximopere decantemus, quòd sudorifica, vel saltim diaphoretica sint. Nullam enim calefaciendi vim habent: idque ex eorum insipido sapore probatur, cujus ratione etiam quibusvis ægrotantibus delicatioribus, ingrata respicientibus me-

medicamina, cum salutis usura exhibemus. Quot sunt mineralia perfecta, tot sunt Bezoartica, quæ ex ipsis parantur, & ideò nos in unum cogimus articulum.

ART. ULTIMUS.

De Bezoarticis.

Bezoarticum minerale ita paratur.

℞. Spuma venenata duorum draconum semel rectificati ℥iv. Huic calore resolutis superfunde spiritus salis balsamici uncias totidem, guttatim, nè nimia ebullitiones jacturam faciant spirituum. Destilla ex arenâ per cucurbitam cum alembico omnem liquorem ad siccitatem usque, terram exime, & probe tere, eique liquorem destillatum reasfunde cum ℥ij. spiritus recentis balsamici, & destilla ut antea. Huic pulveri trito reasfunde liquorem destillatum cum alio ℥ij. ut supra, & procede rursus ut prius. Massam tritam trade Vulcano Docimastico examinandam per aliquot horas: materiam continuò agitando rudisula ferrea pura. Tandem eam, alkohol vini ab ea aliquoties abstrahendo, rectifica, ut remaneat pulv. siccus, & candidus.

Usus ejus singularis est in omnibus affectionibus pestilentibus, & febribus malignis populariter grassantibus: eas enim è centro educit, & evellit, sudores potentissimè movendo. In erisypelate capitis etiam curando potentissimum est remedium.

Dosis. Exhibentur gr. iij. usque ad vj.

Bezoarticum Solare, seu Metallicum ita fit.

D. Car. Musitani Pyrotechnia.

℞. Solis purissimi in aq. philosophicâ soluti ℥ij. ipsique adde guttatim liquoris gummosi septies rectificati ℥j. fiet maxima ebullitio. Pone matrarium super calidos cineres ad iij. vel iv. h. Tum præcipita in aq. com. & sæpius ablue ultimò cum aq. cordiali, & tandem exsica. Habebis lapidem admirandæ virtutis: præsertim si ut Bezoarticum minerale, prius rectè figatur.

Usus. Diaphoreticum est utilissimum, quod vires conservando, sudores movet, articulorum dolores, artuumque morbos cum hydropè, & leprâ, omnibus ejus specibus, in appropriatis vehiculis, expellit. Dosis à gr. v. ad vj.

Bezoarticum lunare, ita paratur.

℞. Lunam, eamque diss. in spiritu salis petra, ut pondus ejus benè augeatur. Deinde ea in aq. viscidam per digestionem redacta, funde unam ejus partem super x. partes liquoris gummosi benè rectificati, liquefactique, & super hac mistura spiritum ex serpente terreno bis, aut ter destilla, dando ignem magnum circa finem. Tandem hac materiam in crucibulum posita per unam horam, & dimidiam ignienda, atque super ea in pul. redacta spiritus vini comburendus.

Usus, ad cerebri affectus: estque specificum ad omnes morbos muliebres. Dosis est à gr. vj. ad viij.

Bezoarticum Saturnium. Simili prorsus modo ex vitro saturni, quod fit ex minio, & silicibus simul fusis, & aliquoties cum eodem butyro antimonij rectificato tincturam extrahe, illudque dicto cum spiritu nitri fige. Est in omnibus affectibus splenis remedium efficax.

Bozoarticum Joviale hoc modo paramus.

℥. Reguli antim. ℥iij. Jovis puri in Angliâ nati ℥ij. Scorsim fusa misceantur, postea pulverizentur, pulv. adde merc. purissimi sine arsenico exaltati, & prius subtiliter in marmore levigati ℥v. omniaque commista subito in retortam parum excalescentemingere, & ultro butyraceam ol. videbis egredi, gradatim tamen ignem subministra, ut etiam post ij. horas sup-pressorium ignem adhibeas: hoc butyrum cum spiritu salis ter cohobando in album præcipitatum fige, & postea ignitum in spiritu vini extingue.

Ufus Potenter sudores pellit, prætereaque icterum, hydropem, lepram, luis Venereæ, & podagræ reliquias cum totâ radice funditus per diaphoresim evellit. Dosis à gr. j. ad iij. vel iv.

Bezoarticum Martiale, ex croco martis solius ignis beneficio facto, cum butyro antimonij rectificato in digestionem elice tincturam rubicundissimam: Butyrum tinctura antimonij imprægnatum fige cum menstruo fulminantis salis, more usitato. Est specificum, & præsentissimum remedium in omnibus fluxionibus ventris, & præsertim ab hepate ortum suum capientibus.

Bezoarticum Venereum ex baturâ Veneris cum oleo antimonij

dicto elicitur tinctura, quod fixatum ad Venereos morbos commendatur.

Bezoarticum Mercuriale. Ex vitro merc. vitæ cum butyro antimonij correcto elicitur tinctura rubea. Idem igitur per spiritum nitri fixatum transit in bezoarticum excellens virtute prioribus non cedens.

His itaque modis possunt bezoartica, seu diaphoretica cum omnibus metallis fieri, in quibus virtuosæ partes ipsorum metallorum cum butyro antimonij conjunctæ per nobile menstruum salis nitri simul figuntur, ac in nobiles medicinas abeunt: Quinimodò ad easdem formas illorum plura alia ex iisdem fingi, & confici possunt, de quibus priora sæcula forsitan non cogitarunt.

Et hæc satis sint adducta ad hujus libri complementum, ex tot, tantisque Chymicæ operationibus, quas descripsimus; quisque filius artis ad ulteriorem aliorum medicaminum chymicorum præparationem ex proprio Marte, labore, sudore, impensis, & patientiâ progredi poterit ad ulteriora arcana concinnanda, cum mineralium Regnum inexhaustos contineat thesauros; Ideo nunc sit



D. CAROLI
 MUSITANI
 IATRIAS PROFESSORIS,
 PYROTECHNIÆ SOPHICÆ
 LIBER VLTIMVS.

*De Chymicis Magisteriis ex Animalium Regno
 parabilibus.*



Andem ad animalium regnum appulsi, ipsam nē dum
 laudibus extollere benignissimam naturam, verum
 libenti animo gratari jucunda beneficentiæ recordatio
 nos monet, & pungit. Videmus nihil esse in hoc
 Orbe, quod ipsa nostræ vitæ usui non accomodaverit,
 sive ut in rectâ suæ pristinæ firmitatis consuetudine conservaret, sive
 à præsentibus malis quibus sæpissimè angitur, liberaret. Triplex
 regnum huic ministerio destinavit, ut hæc omnia perageret. Satis
 quippè cuilibet manifestum fiet, si naturæ opera contemplabitur,
 nostram vitam continuo, ne dum vegetantium, & animalium
 haustu ali, verum etiam mineralium; latent siquidem mineralia,
 & in omnibus corporum partibus natura abstrusit, quibus non aper-
 tē, sed furtivo quodam modo vescimur. Vel aër, & aqua quā uti-
 mur quotidie, varia salium genera, & mineralium intra se continet.

Attamen non rarò varia istorum miscela humana corpora agitata infirmantur, & tandèm obruta malis concidere necesse esset, nisi provida natura ex triplici eodem Regno medicamenta deprompsisset, ut nunquàm à lege tutandæ vitæ illis data descisceret. Undè sat illi non fuit ex vegetantium, & mineralium regnis medicamenta ministrasse, nisi ex animalium quoque largiretur. Quadere ordo postulat, ut postquam peragravimus Vegetabilium, & Mineralium regna, jure merito illis de medicaminibus, quæ ex Animalium regno educuntur, agamus, necesse est: attamen huic librum in unum caput comprimemus; idèd fit

C A P U T U N I C U M.

Quæ Animalia sub hoc Regno contineantur.

CUm vegetabilibus hoc habent animalia commune, quod alimentum in vegetationem utraque sumunt, hæc ore, radice illa quidem, quæ sensibus rursus inferiora sunt animalibus. Sub animalium Regno continentur animalia, tam perfecta, ut sunt homo, & cuncta bruta, quàm imperfecta, & horum tria sunt genera, reptilium in terrâ, volatili-um in aëre, & natatili-um sub aquis; horum aliqua insecta vocantur, quæ ex putri materiâ nascuntur, ut lumbrici, muscæ, ranæ, &c. De his omnibus in præsentì libro nos agemus, quæ ad usum Medicum pertinent, & de omnibus eorum partibus, tam fluidis, quàm solidis, ut sunt carnes, ossa, membrana, sanguis, sperma, excrementa, & cœtera, quare præsens caput in tres partiemur articulos; in primo agemus de illis medicaminibus, quæ ex homine; in secundo, quæ ex brutis; & in tertio tandèm, quæ ex

insectis eliciuntur. Ad hanc pertractationem complendam ob temporis penuriam non sicco vestigio transibimus, sed aliqua selectiora, & præcipua, ut noster mos est, dicemus.

A R T. P R I M U S.

De Medicamentis Chymicis, quæ ex Homine eliciuntur.

CUm præcipuum inter animalia locum teneat mortalis homo, cum ob animam rationalem ad Omnipotentis Dei imaginem conditus sit; meritò primò de illis agemus medicaminibus, quæ ex homine educuntur. Nulla equidem pars in homine extat, tam homogœna, quàm ætherogœna, tam alimentitia, quæ in nobile non transeat pharmacum. Et quidem

Ex humanâ carne paratur mumia, (non loquimur de mumia, quæ reperitur

peritur in Ægypti sepulchris), quæ b. alto devolutis medetur.

Ex sanguine varia parantur medicamenta, ut *sal armoniacum*, tali modo.

℞. Sanguinis humani lib. j. sanguinis bovis, vel alterius animalis lib. ij. aq. putei lib. vi. m. & filtra, pone ad ignem, & bulliant ad consumptionem aq. & sal manebit in fundo. De ejus præparatione, & usu fusiis diximus in proprio articulo.

Sal sanguinis humani quoque paratur ex fœcibus post olei extractionem relictis. Extracto siquidem oleo, ignis augetur, tunc sal volatilis ad retortæ, vel capitelli spondilia sublimatur. Vel fœcibus concremat, & in cinerem versis aqua stillatitia affunditur, filtratur, & tandem destillatur, vel evaporatur, & in vasis fundo remanet sal, repurgatur, & pellucidus redditur, ut in art. de salium vegetabilium præp. diximus.

Hic sal morbis vesicæ, podagræ, chiragræ, & gonagræ medetur.

Paratur ex humano sanguine oleum ita.

℞. Sanguinis juvenum (verno tempore extracti) q. s. m. cum suff. quantis. spiritus vini, cucurbitis benè munitis, digere in ventre equino per mensem, dein destilla igne ciner. & progredietur unà cum aquâ ol. Repete destillationem in M. B. & extrahes spiritum cum phlegmate mistum, rectifica in retortâ novies, & habebis oleum.

Usus. Maximè commendatur ad epilepsiam radicitus tollendam, (si singulis diebus per mensem integrum sumatur ℞. à novilunio incipiendo, & postmodum singulis noviluniis semel per annum ℞. j.), ad

paralytim, apoplexiam, pulmonem exulceratum, pleuresim, &c.

Ex cranio humano, (quod ad capitis morbos conferre compertum est, & nominatim ad epilepsiam,) paratur magisterium hoc pacto.

℞. Limaturæ cranij humani nunquam humati, humoreque adventitio privati q. v. cum alkohole vini salvato ad supereminentiam vi. digitorum, per mensem dimidium digere, deinde per retortam pelle reafusum liquorem, cum capite mortuo denuò digere, ac vicissim destilla, idque tertio repete. Tandem omne abstractum aliquandiu circula, abstractoque alkohole vini è lento B. & essentiam cranij instar coaguli remanentem serva.

Usus. Epilepsiæ est verum curativum, si ejus gr. aliquot in convenienti vehiculo exhibeantur.

Humano ex cranio paratur sal, & extrahitur ex ipsâ cranij limaturâ remanente in fundo retortæ, quæ calcinatur, & s. a. sal extrahitur, quod maximoperè epilepsiæ prodest.

Eodem modo pariter sal elicitur ex omnibus ossibus humanis: sed cum difficulter calcinetur, sulphuris flos adhibendus est, & postea extrahitur cum aquâ ivæ arthriticæ. Itâ humana salia parata exhibentur in paucâ quantitate in doloribus articularibus & unumquodque os specialem habet proprietatem juvandi patientium partes; nam si sal educitur ex cranio, prodest morbis capitis, ex manuum ossibus chiragræ, pedum podagræ, &c.

Ufnea cranij est moscus nascens in cranio interempti, aëri exposito, ingrediturque compositionem unguenti sympathetici, scilicet magnetici.

Ex urinâ humanâ paratur spiritus, ut
 ℞. *Urinam infantis sani bibentis vinum, quam relinque in vase opt. obturato per menses ij. ut putriscetur, deinde destilletur ex cucurbitâ, cujus orificium obturetur triplici charta ol. imbuta, vel spongia similiter imbuta, quâ spiritus urinae igneus tantum transit. Postea rectificetur: fiet igitur spiritus omnis fætoris expers.*

Inseruit hic spiritus ad omnes obstructions internorum membrorum, utpotè hepatis, lienis, hypochondriorum, mesenterij. Flavam, & nigram icteritiam, & cachexiam curat. Calculum renum, & vesicæ atterit, doloresque inde ortos sopit.

Ex eadem urinâ humanâ extrahitur sal, quod fit filtrando urinam, & eandemmet coagulando, & acetostillatio dissolvitur, & coagulatur, ita repetendo per tres, vel quatuor vices. Facultatem habet abstersivam, undè obstructionibus convenit.

Ex humanis calculis sal extrahitur, qui à Paracels. ludus humanus appellatur, cujus præparationem sparsim commendat; nusquam tamen ejus descriptionem genuinam, à multis hæcenus exoptatam, & anxie quasitam, reliquit, ut

℞. *Calcul. calcina. primum igne lento, dein magno, inque pulv. redactos, cum æquali portione sulph. & salis petra mistos reverbera in alcohol albissimum, quod ad ignem cinerum moderatum in succum berberum clarificatum ponatur, oportet, donec totum dissolvatur: tunc filtrato liquore, extillandus is est per B. ad siccitatem, sic sal manebit in fundo vasis.*

Ufus. Expellit potenter calculum è renibus, & vesica. Exhiberi possunt ejus gr. iij. iv. in decenti vehi-

culo, Lunâ crescente: estque dosis aliquoties repetenda.

Hæc sunt, quæ de medicamentis ex homine depromptis brevitatis scribere permisit, qui plura cupit, passim apud authores inveniet.

ART. SECUNDUS.

De Medicaminibus, quæ ex Brutis educuntur.

BRuta multa medicamina exhibent, quæ quidem magnos habent in medicinâ usus.

Johannes Baptista Van-Helmontius ex hirci sanguine in pleuritide nunquam satis laudabile medicamen parat, ita inquiens: *Hircum suspende cornibus, alligatisque pedibus postremis ad cornua, absæctis testibus castratur. Cruor inde emanans usque in ejus mortem excipitur, & siccatur. A vendibili cruore (qui nil nisi ovillus est) dignoscitur, quod venalis faciliè teratur, ejus pulvis sit puniceus: hircinus autem verus difficillimè, atque radiosissimè teritur, estque piceæ coloris pulvis illius.*

Dosis est ad ʒj. per tres, vel quatuor vices in aqu. card. bened. syrup. papav. rheados in pleuritide. Datur quoque in inflammationibus internis, in anginâ, & sputo sanguinis.

Idem supra cit. author ex sanguine, & carne leporis, duo in fallibilia remedia parat, dicens: *Pavidissimum ergò animal leporem videlicet occiderunt, non quidem telo, ut inopinâ morte occumbat: sed venando, ut per canum morsum intereat: quò vis geminata pavoris imprimatur in ejus totum. Itaque linteum in leporis sanguine tinxerunt, & siccatum aservaverunt. Idemque in vino carptim*
 ex-

exhibuerunt, & curata est dysenteria. Item-
que siccum apposuerunt erisypelati, & sa-
natum est. Imò milites Germani leporem
fumo siccatum præbent in potu, & curatur
dysenteria non fallaci eventu. Dosis san-
guinis, & carnis est ʒj. Leporis pin-
guedo uncta spinam digito, vel alte-
ri loco fixam una nocte extrahit.

Multa animalium stercorea mirabi-
les, & præstantes obtinent medica-
mentosas virtutes; Constant enim
spiritu volatili færente flagrabili
(sulphur fatidum vocant) & sale
fixiori nitroso, quo agri fæcundan-
tur (ut diximus,) & interim, ut
humanum taceamus stercus (res pro-
fectò indigna, à quopiam ut in
usum advocetur,) Pavonis stercus
multoties non fallaci eventu in ver-
tigine, & epilepsiâ experti sumus,
hoc modo.

℞. Stercus pavonis, exsicca, & reduc
in pulv. maceretur ʒj. per noctem in vino.
Trajice per linteum, & exhibe vertigino-
so, vel epilectico mane j. juno stomacho ad
multos dies continuando à novilu-
nio usque ad plenilunium, aut am-
plius, si opus sit. Potest admisceri
saccharum.

ART. ULTIMUS.

*De Medicaminibus, quæ ex Insectis
eliciuntur.*

NON minoris efficaciz sunt medi-
camenta insectorum, ac cun-
ctorum aliorum animantium, undè
multa magisteria parantur, & qui-
dem in ulu Medico magnificien-
da.

Parant spagyrici ex ranarum sper-
mate illud medicamen, quod sperniola

appellatur, ad cuius intelligentiam
sciendum est, quod sperniola est
sperma ranarum, quod ineunte ve-
re, hinc, inde circa lacus palustres,
& stagna reperitur; undè postea so-
lis beneficio ranæ in viva animalia
excoquantur. Illud autem ad medi-
cinam colligendum est Mense Mar-
tio ante Solis ortum, & quidem tri-
duo, vel quatrduo ante novilu-
nium, (in plenilunium enim maxi-
mè fætet,) inque usus adhibendum.
Chirurgi periti eo crudo imbuunt
lacinias, easque vicissim, idque sæpiùs
faciunt. Iis utuntur postea ad in-
flammationes quaslibet vulnorum
tollendas, imò si suprâ iisdem em-
plastra extenduntur, mirificè eosdem
affectus retinent. In erisypelate pe-
dum, vel manuum, aut alterius
membri externi, sæpiùs recurrente,
nihil eo utiliùs est, si tantùm sicca
talis lacinia, cùm sperniolâ cruda
præparata loco affecto applicetur,
ac membrum involuatur. In tybiis,
seu cruribus erisypelas facillè cedit,
si ex linteis fiant tibialia affabrè fa-
cta. Hæc verò septies, vel etiam am-
plius cum eadem sperniolâ imbiban-
tur, & quasi cum eadem conquassan-
tur, denuoque exsiccentur. Hæc ni-
mirum multos annos durare possunt,
modò nè aqua alia extergantur, vel
mundentur. Ab eorum usu nec tam
facillè redit erisypelas, nec tam diffi-
culter repellitur, quin statim ab ini-
tio applicationis, & dolor, & tumor
cum rubore facestant.

℞. Spermatis ranarum q. v. in
mense Martio, destilletur per se in R.
triduum ante novilunium collecti (ut su-
prâ diximus) sic enim non fætet. Habita
hæc aqua.

℞. Myr.

℞. Myr. el. thur. masc. an. ʒ ij. croci triti ʒ iij. tere omnia, & m. Hunc pulv. imbibe aq. stillatitiâ sperniolâ, idest spermatu ranarum, vigesies, vel trigesies, ita tamen ut semper prius spontè exsiccetur, postea ad usus suos servandus est.

Ufus. Summum est remedium in hæmorrhagiâ è naribus, gutture, utero, quia frigiditate suâ sanguinem coagulat. Confert quoque, si solvatur cum aceto, & erisypelati, doloribusque podagricis calidis applicetur. Hæmorrhagiam quoque vulnerum impositione sistit, panaritium necat, &c.

Parant ex Ranis alkalia hoc modo.

℞. Ranas vivas q. v. pone in ollâ vitreatâ, operculo benè clausâ, & in furno post panis extractionem opt. exsiccentur ad perfectam pulverizationem, post quam in vase serva.

Ufus. In immodico mensium fluxu, in vomitu, & sputu sanguinis, in fluore albo mulierum, hæmorrhagiâ, & gonorrhœâ. Dosis ʒj.

Bufo, etfi animal sit deterrimum, venenosum, & abominabile; attamen non effugit usum Medicum, eumque tum internum, tum externum. Internè ejus pulvis hydropicorum aquas per urinam educit; externè autem est *pestis presagium*, & *antidotum*, undè cap. de Anthrace fusiùs egimus.

Paratur mirabile oleum ex *Bufonibus* sequenti modo.

℞. Bufones ij. vel iij. purgenturque per iij. dies. Inde olla nova vitreata, quibus superfunde olei lib. v. vel vi. claudè vas ne quid expiret, bull. in aperto Jove,

lento igne per sex horas. Permite vas sponte refrigerari, decanta, & ad usus serva.

Ufus. Est veluti singulare arcanum, purgato corpore, avulsisque capillis, in curandâ Tineâ, & Alopeciâ pluries partem affectam inungendo.

Peragrato jam tandem animalium Regno, nunc tempus monuit rem omnem ad umbilicum ducere. Quantâ industriâ, quantâque solertiâ in in alienæ utilitatis compendium his talibus studuissimus: multus labor, quo plurimis ab hinc annis Pyrotechnicâ in re insumimur, summâque animi delectatione tenemur, per hæc pauca nostri ingenij testimonia vos edocuit. Unum dumtaxat credatis velimus (quod sat ipsi observare potuistis) non temerè hæc omnia, quæ ad exactam medicamento- rum præparationem spectabant nostro huic libello intrusisse. Optima siquidem selegimus, multa, probat prius meliorum authorum fide, multoties ad rationum incudem devocando conquissimus, complura nostrâ diligentia exactissimâ passim ignis examine, laborata protulimus; ita ut nihil in hisce desiderandum, quod absolutissimè rei conveniret, reliquisse, nisi suscepti negotij amor me fallat certo certius adducor. Si grata, cordique fuerunt, vestra humanitati acceptum referimus, qui hos meos labores probare non dedignati estis, ad graviora forsân laceraturi. Undè Deo gratari licet, qui ex nostri animi sententiâ huic operi, & fundamenta jecit, & supremum imposuit fastigium.

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM, QUÆ IN PYROTECHNIA SOPHICA

Continentur.

A

<i>Ab alto devolutus.</i>	77
<i>Acetum destillatum.</i>	97
<i>Ægyptij summopere Chymiam excoluerunt.</i>	3
<i>Ægyptus Sacra Lingua Chemica dicitur.</i>	8
<i>Æris principia, ejusdem cum auro cognatio.</i>	190
<i>Ufus antiquus apud Hip. & Gal.</i>	ibid.
<i>Albugines</i>	123
<i>Alkaest, seu menstruum universale.</i>	43
<i>Alopecia</i>	200
<i>Alvi fluxus, & profluvium.</i>	77. 83
<i>Aluminis natura.</i>	124
<i>Ustum infallibile medicamen.</i>	125
<i>Amalgamatio quid sit.</i>	18
<i>Ambusta.</i>	181. 182
<i>Angina.</i>	122. ibid. 198
<i>Animalium nomina.</i>	22
<i>Animi deliquium.</i>	81. 88
<i>Antimonij varia nomina.</i>	146
<i>Exitiale venenum apud Vulgares.</i>	145
<i>Ufus vetustissimus.</i>	146
<i>Mechanicis inservit.</i>	147
<i>Crudum non officit.</i>	ibid.
<i>Quibus principiis constet.</i>	146
<i>Diaphoreticum.</i>	149
<i>Mercurius.</i>	157
<i>Oleum.</i>	156
<i>Regulum.</i>	151
<i>Sal.</i>	157
<i>Sudorificum Fabri.</i>	151
<i>Sulphur.</i>	157
<i>Vitrum.</i>	152
<i>Aphtha.</i>	111
<i>Apoplexia.</i>	77. 138. 153. 197
<i>Appetitus dejectio.</i>	82
<i>Aqua Aluminosa Fallopij.</i>	125
<i>Arterialis.</i>	125
<i>Anti Venerea.</i>	147
<i>Benedicta Rulandi.</i>	149
<i>Fortis, ejusque varia descriptiones.</i>	130
<i>Ophthalmica.</i>	149
<i>Ophthalmica Angelj Sala.</i>	185

<i>Regia.</i>	134
<i>Saphireæ.</i>	123
<i>Saturnina, seu Æsculapij.</i>	183
<i>Solutiva Communis.</i>	126
<i>Solutiva Magistralis.</i>	127
<i>Theriacaalis.</i>	91
<i>Arcanum Corallinum.</i>	168
<i>Argenti principia.</i>	178
<i>Arsenici natura, & species.</i>	160. 161
<i>Arthritis.</i>	77. 73. 74. 80. 85. 94. 118
<i>Asthma.</i>	74. 78. 143. 189
<i>Astra ignea, & summa intelligentia præditi Oceani, Terræque humoribus aluntur.</i>	33
<i>Auripigmentum per quid differat à Sandarachâ.</i>	160
<i>Sybillinum Oraculum interpretatur.</i>	161
<i>Inest verum aurum.</i>	ibid.
<i>Aurum ex tribus principiis constat.</i>	175
<i>Fulminans cur tonet.</i>	177

B

<i>Balsamus Caryophyllorum.</i>	92
<i>Sulphuris.</i>	144
<i>Vita.</i>	92
<i>Bexoarticum Ioviale.</i>	194
<i>Lunare.</i>	193
<i>Martiale.</i>	194
<i>Mercuriale.</i>	ibid.
<i>Minerale.</i>	190
<i>Saturninum.</i>	ibid.
<i>Solare.</i>	ibid.
<i>Venereum.</i>	194
<i>Butyrum Antimonij.</i>	153
<i>Arsenici.</i>	162
<i>Saturni.</i>	183
<i>Sulphuris.</i>	143

C

<i>Cachexia.</i>	124. 129. 150. 187. 198
<i>Calcinatio quid sit.</i>	46
<i>Quare illâ utuntur Chymici.</i>	47
<i>Divisio, & subdivisio.</i>	48
<i>Calculus.</i>	84. 85. 86. 95. 105. 122. 119
<i>Caligo Oculorum.</i>	90
<i>Calix Chymicus.</i>	151. 158

Cc

Ca.

Calomelanos Turqueti.	168	Ens morbosum à duplici causa in Archeo con-	
Cancer.	79	cepta constituitur.	60
Catarrhus.	82. 83. 85. 90. 143	Elixir Crollij.	90
Cautiones in exhibitione opiatorum.	94	Helmontij.	89
Chiragra.	72	Pestilentielle.	96
Cholera.	69. 70. 77	Proprietatis Paracelsi.	89
Chymia cum ipso Mundo orta fuit.	3	Vita.	91
Ejus varia nomina.	8	Vterinum.	91
Definitio.	9	Epilepsia.	82. 95. 105. 112. 113. 134. 188
Dignitas.	10	174. 180. 183. 197. 199.	
Necessitas.	ibid.	Erysipelas.	118. 128. 193. 199. 200
Officium.	ibid.	Essentia Brionia.	75
Cementatio quid sit.	48	Cinnamomi.	88
Cinnabaris antimonij.	154	Cucumeris agrestis.	74
Coagulatio quid sit.	55	Ebuli.	72
Multipliciter fit.	ibid.	Essensificatio spiritus salium.	118
Colchotar.	113	Gemmarum.	140
Colica.	84. 95	Granorum Kameactes.	73
Colorum multiplicitas unde oriatur.	80	Mentha.	69
Contraria contrariis quomodo sit intelligen-		Perlarum.	137
dum.	59	Sambuci.	72
Convulsio.	146	Terebinthina.	86
Coralliorum species.	133	Thuris.	87
Cremor Sulphuris.	143	Titymalorum.	71
Tartari.	127	Volatilis ex floribus, fructibus, & her-	
Ejus animadversiones.	ibid.	bis.	65
Crocus Martis.	187	Exantemata.	150
Croci Martis essentia.	188	Excrecentia carnea.	108. 125
Metallorum.	148	Extractum Agarici.	77
Martini Rulandi.	ibid.	Aloës.	79
Veneris.	191	Gutta gamba.	80
Crystalli Salis Communis.	117	Marchasita.	159
Cupellatio quomodo fiat.	180	Rhabbarbari.	77
D		Scammonij.	79
Decocta quâ ratione exsiccant.	102	Sena.	78
Vulneraria quomodo vulnera, & ulcera		F	
curant.	104	Fabula quamplurima num de Chymia intelli-	
Eorum varia formula.	ibid.	gantur.	6
Delirium.	94. 180	Fames præter naturalis.	69
Democritus Chymia peritissimus.	6	Febres.	68. 72. 94. 113. 154. 172
Destillatio quid sit.	53	Ardens.	82. 110. 122. 157. 182
Quotuplex.	54	Continua.	84
Diarrhœa.	134. 187. 188	Erratica.	170
Diatartarus in formâ electuarij.	126	Maligna.	66. 91. 110. 118. 150
in formâ pulveris.	ibid.	Petechialis.	170
Diocletianus Chrysopopaia libros combussit.	6	Putrida.	91
Dolor Capitis.	71	Quartana.	73. 74. 80. 84. 89. ibid. 112.
Dysenteria.	69. 77. 83. 123. 115. 134. 187. 188	123. 124. 129. 150. 183.	
Dysuria.	116	Tertiana.	84
E		Febrifugum Lazari Riverij.	170
Electuarium granorum juniperi.	84	Facula Brionia.	75
Elementa invicem non transmutantur.	29	Ferri principia.	186
		In	

<i>In Chalybem transmutatio.</i>	186	<i>Cranij humani.</i>	197
<i>Ficus purgans.</i>	72	<i>Gemmarum.</i>	138
<i>Flores Antimonij.</i>	155	<i>Marchasita.</i>	159
<i>Sulphuris.</i>	141	<i>Manna potabilis, vulgo aqua Angelica.</i>	100
<i>Fluxio.</i>	82. ibid. 85. 94. 110	<i>Marchasita natura, & species.</i>	159
<i>Fluxus hepaticus.</i>	95. 134	<i>Medicamenti definitio.</i>	58
<i>Fædus Virginum color V. Pallidi Virginum Colores.</i>		<i>Quotuplex.</i>	62
		<i>Circa quam versatur Chymia.</i>	63
G		<i>Memoria imbecillitas.</i>	88
<i>Gangrana.</i>	113. 153. 156	<i>Menstrui definitio, divisio, & subdivisio.</i>	40
<i>Gemmarum ortus.</i>	131	<i>Menstrua alba.</i>	188. 200
<i>An vita sint noxia.</i>	132	<i>Retenta.</i>	74. 75. 78. 88. 105. 127. 129. 150. 151
<i>Gingivarum laxitas.</i>	121. 125	<i>Mercurius ex quibus constet principiis.</i>	163
<i>Gonorrhœa.</i>	86. 87. 122. 187. 188. 190	<i>Dulcis.</i>	168
<i>Gryllus Paracelsi.</i>	113	<i>Diaphoreticus.</i>	154
H		<i>Catharticus.</i>	154
<i>Hamorrhagia.</i>	95. 109. ibid. 113. 183. 187. 188. 200	<i>Correctus.</i>	ibid.
<i>Hamorrhoides.</i>	183. 188	<i>Diaphor. Helmontij.</i>	171
<i>Hemicrania.</i>	90	<i>Paracelsi.</i>	ibid.
<i>Hepar antimonij.</i>	149	<i>Precipitatus albus.</i>	169
<i>Hermes Trismegistus Chymia restaurator.</i>	5	<i>Sublimatus.</i>	167
<i>Hydrops.</i>	73. ibid. 74. 76. 80. 112. 128. 129. ibid. 134. 150. 152. 154. 159. 168. 188. 193. 200	<i>Metallorum nomina.</i>	20
<i>Hysterica passio.</i>	91. 185	<i>Metallorum, & mineralium nomina.</i>	26
I		<i>Minium.</i>	181
<i>Ignis quid secundum Hippocratem.</i>	31	N	
<i>Paracelsum.</i>	34	<i>Narcoticorum effectus.</i>	86
<i>Helmontium.</i>	ibid.	<i>Neapolitanorum horti, cur fertiles.</i>	121
<i>in fornace Babylonis quare non combussit.</i>	36	<i>Nepenthes Quercetani.</i>	93
<i>Quotuplex.</i>	37	<i>Nitri varia nomina.</i>	119
<i>Actualis gradus secundum Helmont.</i>	38	<i>Quid sit.</i>	121
<i>Iuxta Authorem.</i>	ibid.	<i>Vbi maxime abundet.</i>	ibid.
<i>Fermentalis quid sit.</i>	43	<i>Calidum, an frigidum sit.</i>	122
<i>Fermentum duplex est.</i>	45	O	
<i>Indigestio.</i>	69	<i>Obstructio.</i>	74. 76. 83. 85. 110. 113. 118. 124. 127. 128. 129. ibid. 146. 150. 180. 187. 188.
<i>Instrumenta Chymia describuntur.</i>	23	<i>Oleum Arsenici.</i>	162
<i>Ischiadus dolor.</i>	75. 143	<i>Busonum.</i>	200
<i>Iulep vitalis simplex.</i>	100	<i>Cinnamomi.</i>	88
<i>Compositus.</i>	101	<i>Coralliorum.</i>	135
<i>Iuppiter diaphoreticus.</i>	185	<i>Mentha p. d.</i>	70
L		<i>Mercurij diaphoretici dulcis.</i>	174
<i>Lac sulphuris.</i>	143	<i>Perlaurum.</i>	137
<i>Lapides, vitrum, carbones, &c. cur divo- rentur.</i>	133	<i>Sacchari.</i>	101
<i>Laudanum opiatum.</i>	93	<i>Sanguinis humani.</i>	197
<i>Lentigines.</i>	118. 128	<i>Sena.</i>	78
<i>Litargyrium.</i>	181	<i>Sulphuris.</i>	143
<i>Luna calcinationes.</i>	179	<i>Tartari p. d.</i>	128
<i>Lutandi instrumenta varij modis.</i>	25	<i>Vitrioli.</i>	110
M		<i>Opium calidum sit, an frigidum.</i>	96
<i>Magisterium coralliorum.</i>	135	<i>Ophthalmia.</i>	82. 101. 111
		P	
		<i>Pallidi Virginum colores.</i>	74. 80. 187. 188

<i>Panacea Antimonij.</i>	157	<i>Vini.</i>	98
<i>Pestis.</i>	133. 134. 148. 182	<i>Vitrioli.</i>	109
<i>Phrenitis.</i>	94. 138	<i>Vrina humana.</i>	198
<i>Pleuritis.</i>	83. 105. 122. 150. 198	<i>Spuma venenata duorum draconum.</i>	133
<i>Plumbi principia.</i>	180	<i>Stanni principia, & proprietates.</i>	184
<i>Pedagra.</i>	71. 76. 117. 143. 168. 197	<i>Stercus pavonis.</i>	199
<i>Principia rerum omnium disquiruntur.</i>	16	<i>Sublimatio quid sit.</i>	49
<i>Pulvis Angelicus, seu Algoreth.</i>	153	<i>Sudorificum Fabri.</i>	151
<i>Emeticus.</i>	154	<i>Sulphuris natura, effectus, & species.</i>	141
<i>Iohan. de Vigo.</i>	172	<i>Auratum diaphoreticum.</i>	51
<i>Marci Cornacchini dictus Cerberus.</i>	150	<i>Mercurij.</i>	174
<i>Sympatheticus.</i>	109	<i>Veneris.</i>	171
<i>Putrefactio quid sit.</i>	52	<i>Tartari.</i>	129
<i>Pyrus pulvis cur tanto impetu erumpat.</i>	119	<i>Vitrioli dulce, & anodynum.</i>	113
Q		<i>Syrupus emeticus.</i>	149
		T	
<i>Quinta essentia salis communis.</i>	118	<i>Tabella sulphuris.</i>	142
R		<i>Tartari natura.</i>	125
		<i>Nitratus Mynsichti.</i>	126
<i>Ranarum alkalia.</i>	199	<i>Vitriolatus.</i>	129
<i>Rauedo.</i>	101	<i>Terra exanimata vitrioli.</i>	136
<i>Reges tantum Chymiam exercebant.</i>	6	<i>Theriaca Germanorum.</i>	84
<i>Regulus Antimonij simplex.</i>	151	<i>Tinctura Absynthij.</i>	83
<i>Rubinus diaphoreticus.</i>	162	<i>Antimonij.</i>	156
<i>Ex auripigmento.</i>	ibid.	<i>Baccarum juniperi.</i>	83
<i>Sulphuris.</i>	144	<i>Coralliorum.</i>	136
<i>Rubedo oculorum.</i>	182	<i>Corticis Peruviani.</i>	84
S		<i>Croci Martis.</i>	138
		<i>Florum hyperici.</i>	83
<i>Sacchari liquor.</i>	101	<i>Florum Serpentaria.</i>	82
<i>Saccharum, seu sal Saturni.</i>	182	<i>Gemmarum.</i>	139
<i>Salis Armoniaci natura.</i>	123	<i>Luna.</i>	180
<i>Eius confectio.</i>	197	<i>Papaveris erratici.</i>	83
<i>Coralliorum.</i>	134	<i>Perlarum.</i>	138
<i>Cranij humani.</i>	197	<i>Ros. pallidar. moscatarum.</i>	81
<i>Fixum ex vegetabilibus.</i>	68	<i>Rhabarbari.</i>	85
<i>Gemma.</i>	118	<i>Saturni.</i>	183
<i>Iovis.</i>	185	<i>Sulphuris tartariz.</i>	144
<i>Prunella.</i>	122	<i>Tartari.</i>	130
<i>Tartari.</i>	127	<i>Violarum.</i>	82
<i>Vitrioli.</i>	112	V	
<i>Vrina humana.</i>	198		
<i>Sanguinis hirci ad pluritudinem preparatio.</i>	ibid.	<i>Vegetabilium nomina.</i>	22
<i>Sanguinis profluvium.</i>	109	<i>Veneris calcinationes.</i>	191
<i>Solutio quid sit.</i>	51	<i>Vini spiritus, quibus prodest, & quibus obest.</i>	99
<i>Quotuplex.</i>	ibid.	<i>Vitriolum quid.</i>	108
<i>Spiritus vini vim narcoticam continet.</i>	96	<i>Martis.</i>	188
<i>Cur sit inflammabilis, secus aceti.</i>	98	<i>Veneris.</i>	191
<i>Spiritus Arsenici.</i>	162	<i>Vitrum Antimonij album.</i>	154
<i>Ardens Saturni.</i>	182	<i>Vulneraria simplicia.</i>	103
<i>Mercurij albi diaphoretici.</i>	173	Z	
<i>Rubri.</i>	ibid.		
<i>Salis communis.</i>	116	<i>Zara in Hermetis sepuchro Smaragdinam ta-</i>	
<i>Dulcis.</i>	117	<i>bulam reperit.</i>	4
<i>Salis armoniaci.</i>	423	F I N I S	
<i>Tartari.</i>	428		

I N D E X
A U T H O R U M
Q V I I N
O P E R I B U S M E D I C I S
C H Y M I C O - P R A C T I C I S
R. D.
C A R O L I M U S I T A N I
Citantur, & Laudantur.

A

Aëtius
Ægineta *Paulus*
Agricola *Joannes*
Agrippa *Cornelius*
Albertus Magnus
Alchmæon
Alexander ab Alexandro
Alexander Benedictus
Algoretus *Victorius*
Alpinus *Prosper*
Altimari *Donatus Antonius*
Amatus Lusitanus
Aquapendente *Hieronimus Fabricius*
Arantius *Julius Caesar*
Arcæus *Franciscus*
Arcefilas Pitaneus
Aretæus
Argenterius *Joannes*
Aristoteles
Arnoldus de Villâ novâ
Asellius
Athenæus
Averroës
Avicennas

B

Bacchinus
Balduinus
Barbatus *Hieronimus*
Barbette *Paulus*
Bartholetus *Fabritius*
Bartholinus *Thomas*
Bartholus *Sebastianus*
Battimelli *Andreas*
Bauhinus *Joannes*
Banderonius
Bauschius
Bayrus *Petrus*
Beguinus *Joan. Baptista*
Birckmannus
Boëtius *Anselmus*
Borellus
Bonetus *Theophilus*
Bourdelonius
Bovius
Boyle *Robertus*
Brassavolus *Ant. Musa*
Brendelius
Bruele *Gualterus*
Brunnerus *Balthassar*

Cc 3

C. Ca.

C

Cabrolus
 Capua *Leonardus à*
 Capucius *Joan. Baptista*
 Cardanus *Hieronymus*
 Cardilucius
 Capivaccius *Hieronymus*
 Carrichterus
 Cartesius
 Casaubonus *Isaac*
 Castelli *Petrus*
 Castro *Rodericus à*
 Cato
 Cattierius *Isaac*
 Catullus
 Cælius *Aurelianus*
 Cæsalpinus *Andreas*
 Celsus *Cornelius*
 Charleton *Gualterus*
 Chrisippus
 Cicero
 Cleanthes
 Clossæus
 Cole
 Columbus *Realdus*
 Conciliator *Petrus Aponensis*
 Conringius
 Consentinus *Thomas Cornelius*
 Constantinus *Cæsar*
 Cornachinus *Marcus*
 Cornelius *à lapide*
 Crollius *Osualdus*
 Curtius *Matthæus*

D

Democritus
 Deusingius *Antonius*
 Diemerbroeck *Isbrandus*
 Diocles
 Diodorus *Siculus*
 Diogenes *Laërtius*
 Dioscorides
 Divus *Augustinus*
 Divus *Hieronymus*

Divus *Paulus*
 Divus *Thomas de Aquino*
 Dolæus *Joannes*
 Donodæus
 Donatus *Marcellus*
 Donzellius
 Doringius *Michaël*

E

Entius
 Epicurus
 Epiphanius *Ferdinandus*
 Erasistratus
 Erasmus *Roterodamus*
 Erastus *Thomas*
 Ettmüllerus *Michaël*
 Euripides
 Eusebius
 Eustachius *Rudius*

F

Faber *Petrus Jo.*
 Fallopius *Gabriel*
 Ferillo *Paulus Æmilius*
 Fernelius *Joannes*
 Fioravanta
 Fonseca *Petrus*
 Fontanus *Nicolaus*
 Forestus *Petrus*
 Fracastorius *Hieronymus*
 Freitagius *Joannes*

G

Gabelhoverus
 Galenus
 Galilæus
 Cassendus
 Geberus
 Geignerus
 Gellius
 Gesnerus *Cornelius*
 Glissonius
 Goclenius *Rudolphus*
 Gordonius *Bernardus*
 Guainerius

H

Haly Abbas
 Hermes Trismegistus
 Hartmannus Joannes
 Harveus Gulielmus
 Helmontius Joan. Baptista
 Heer Henricus
 Hercules Saxonia
 Herodotus
 Herophylus
 Highmorus Nathanaël
 Hildanus Gulielmus Fabricius
 Hippocrates
 Hollerius
 Holstius
 Hoffmannus
 Homerus
 Horatius
 Horne Joan. Van
 Hostius Gregorius
 Huduardus.

I

Ingrassias
 Joan. Baptista Gemma
 Joël Franciscus
 Joubertus Laurentius
 Julius Firmicius
 Julius Jafolinus
 Junghen
 Juvenalis.

K

Keplerus
 Kerchringius
 Kircherius.

L

Langius Joannes
 Laurentius Andreas
 Levinus Lemnius
 Leonicens
 Libavius
 Lindanus
 Livius
 Lucianus

Lucretius
 Lullius Raimundus.

M

Magalotti
 Malpighius Marcellus
 Marchettis Dominicus de
 Marcus Marci
 Massaria
 Matthæus de Gradibus
 Matthiolus
 Mercatus Ludovicus
 Mercurialis
 Mesues
 Monardes
 Morton Riccardus
 Mynsicht Adrianus à

N

Natalis Stephanus
 Nicander
 Nyloë Clemens

O

Oribasius
 Ovidius

P

Palmarius
 Paracelsus
 Pausanias
 Pecquetus
 Petrus
 Platerus
 Plato
 Platonius Proculus
 Plinius
 Plutarchus
 Poterius Petrus
 Posthius
 Prævotius Joannes

Q

Quercetanus Joseph

R

Realdus
 Regius
 Reies Francus

Reisnerus
Referus *Horatius*
Reusnerus
Rhodiginus *Calius*
Riolanus *Joannes*
Riverius *Lazarus*
Rolfinckius *Guernerus*
Rondeletius *Gulielmus*
Ronsæus *Baldassar*
Roussetus *Franciscus*
Rudbeck *Olaus*
Rudius *Eustachius*
Rulandus *Martinus*.

S

Sala *Angelus*
Salius *Petrus*
Salvus *Sclanus*
Sanchez *Franciscus*
Sanctorius
Sarpa *Paulus*
Savanarola *Joan. Michaël*
Saxonia *Hercules*
Scaliger *Julius Caesar*
Scheckius *Jacobus*
Schenckius *Joannes Theodorus*
Shmitius *Joan. Andreas*
Schröderus *Joannes*
Seneca *Lucius Annæus*
Sennertus *Daniel*
Septalius *Ludovicus*
Severinus *Marcus Aurelius*
Sorfanus
Spigelius *Adrianus*
Strobelbegerus
Strobæus
Strumius
Sylvaticus *Joan. Baptista*
Sylvius de le Boë *Franciscus*
Sylvius *Jacobus*

T

Talentonus

Tertullianus
Themistius
Theopompus *Chius*
Thomas à Vega
Thonerus *Augustinus*
Tiraquellus
Tondinus
Trallianus *Alexander*
Trincavellus
Trismegistus *Mercurius*
Trustonus
Tulpius.

V

Valescus de Tarantâ
Valerius *Maximus*
Vallesius *Franciscus*
Valentinus *Basilius*
à Vega *Christophorus*
Veslingius *Joannes*
Vesalius
Vinderus
Viridetus
Untzerus *Matthæus*
Vulpinus *Joan. Baptista*

W

Walæus *Joannes*
Warthon *Thomas*
Weberus
Wecker *Jo. Jacobus*
Wezelius *David*
Wierus *Joannes*
Willis *Thomas*
Wittflidius *Cornelius*
Wormius
Würz

Z

Zacutus *Lusitanus*
Zeno
Zvvölferus *Joannes*
Zvvingerus *Theodorus*

